Meinem hochverehrten Schwager

Herrn

L. J. Goldstein

k.k. priv. Großhändler, und Censor
der k.k. priv. österr. National-Bank etc.

als Zeichen

seiner Hochachtung und Dankbarkeit

zum Andenken

geweiht

Verfasser

GENIUS
MORBORUM EPIDEMICUS
ANNO MDCCCXXXII
VINDOBONAE OBSERVATUS

HAUSTUS EX OBSERVATIONIBUS IN NOSOCOMIO
C. R. UNIVERSALI VIENNENSI INSTITUTIS.

ACCEDUNT

HISTORIAE MORBORUM
NOTATU DIGNIORES

HOC ANNO IBIDEM IN DIVISIONE QUINTA MEDICA
TRACTATORUM

AUCTORE
IGNATIO HOFMANN
MEDICINAE DOCTORE.

CUM XII TABULIS LITHO IMPRESSIS.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.
MDCCCXXXIII.

Oportet exacte perdiscere unamquamque temporum constitutionem et ipsum morbum.

Hippocrates.
Lib. III. de morbis popularibus.

Certe se ipsum et artem et aegros ludit, qui febrilium morborum curationes aggreditur, non manu identidem quasi ductus hac fida itineris duce, temporis nempe pervestigata conditione.

Stoll.
Ratio medendi.

Wer die herrschende Constitution zu benützen weiss, wird oft auffallende Heilung verjährter Uebel vollbringen.

Kletten.
Wiener medic. Monathschrift.

DOCTISSIMO AC CELEBERRIMO

DOMINO DOMINO

FRANCISCO GÜNTNER,

MEDICINAE DOCTORI,

NOSOCOMII CAESARAEO-REGII UNIVERSALIS NEC NON BREPHOTROPHII

DIRECTORI DIGNISSIMO,

INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE VIENNENSIS

SODALI,

IN METROPOLI AUSTRIAE

MEDICO PRACTICO SUMME VENERATO,

VIRO

HUMANITATE INSIGNI

EXPERIENTIA NEC NON ARTE

PRAESTANTISSIMO

PRAECEPTORI SUO

DE SE OPTIME MERITO

IN PIAE VENERATIONIS ET GRATITUDINIS TESSERAM

PRIMUM HOC STUDIORUM SUORUM SPECIMEN

SACRUM VULT

devinctissimus discipulus.

Dich erwähl' ich zum Lehrer, zum Freund, Dein lebendiges Bilden
Lehrt mich, dein lehrendes Wort rühret lebendig mein Herz.

Schiller.

Praeclare Vir!

Felicem me praedico, cui institutiones clinicas sub auspiciis sapientissimorum virorum inchoatas TUO sub numine sereno ad finem perducere licuit, cui TU ad medicinam ulterius excolendam, honorificum medici secundarii munus, imo et locum in TUA divisione concessisti.

TUA enim solida et casta experientia, TUA in omnes homines, praecipue in miseros aegros benevolentia, TUA versus medicos, quibus praees, paterna amicitia non potuit non totum meum animum summa cum veneratione et amore explere, quo in TE moderatorem sapientissimum ac mentorem providissimum conspicere persuasus fui.

Concedas igitur animo summis gratitudinis et venerationis vinculis TIBI adstricto, ut exiguum hocce monumentum publice TIBI ponam, et magno TUO nomine, hasce literarum mearum teneras primitias condecorem, ac persuasus sis, quod, quo unquam fata me trahant, tam venerando magistro dignum me praebere toto animo et corde adlaborabo.

Observantissimus Auctor

Ignatius Hofmann.

Praefatio.

Summa attentio, quam immortales mei in praxi medica praeceptores: *I. N.* nobilis a *Raimann Ph. C. Hartmann* et *Fr. Güntner* characteri morborum epidemico numquam non dicabant, me ad diligentem impulit operum pervestigationem celeberrimorum virorum *Sydenham*, *Huxham*, de *Haen*, *Stoll*, *Hildenbrand* patris et filii etc. nec non ad avide arripiendam omnem occasionem proprias circa hoc objectum instituendi observationes. Quae prima mihi contigit, ubi scholis medicis egresso, divisionem versatissimi Med. Prim. Dr. *Eisl* frequentare licuit. Erat ominosus ille annus 1831, sub cujus decursu plures epidemiae sese excipientes, ingentem genii epidemici in omnem vitam influxum ad amussim demonstravere. Ineunte autumno anni 1831 munus suscepi medici secundarii in C. R. brephotrophio Vindobonensi (cui ad finem anni 1832 usque praefui), adjunctus simul primo cum dignissimo Med. Dr. *Fried. Socher*, proh dolor! citius defuncto, et postea cum amicissimo Med. Dr. *Fr. Habel*, in vicinis thermis Baadensibus medico nunc physico, cui non pauca circa hoc objectum debeo, divisioni, cui prospicit perillustris. Dom. Director *Güntner*, ubi nunc adhuc versor. Hocce munere fungens simul observationes meas, circa ge-

nium epidemicum quotidie adnotatas omni mense exeunte in unum collegi, adjungens simul nostra in divisione tractatorum morborum historias, vel natura sua vel respectu genii epidemici quem illustravere, notatu dignas.

Circumspicienti tum temporis in vasto medicinae campo de justo dissertationis inauguralis themate, non facile major potuit addi honor, quam ubi venerandus meus Director mihi veniam daret ut observationes circa characterem morborum epidemicum anni praegressi a me in nosocomio universali Vindobonensi institutas publici faciam juris. Sic igitur opusculum hoc enatum est, historicam continens genii epidemici anni 1832 descriptionem historiis morborum illustratam.

Revera non paucis opusculi hujus elaboratio premebatur difficultatibus, quae juveni limites tantae artis vix egresso, tantillis suis viribus fere non superandae videbantur. Strictam enim et castam observationem per annum et ultra continuare mihi incubuit; accessit dein defectus fere plenarius omnis fontis, et animum percellebat thematis ipsius summae dignitatis et virium justa aestimatio. Hinc benigno oculo et serena fronte velim aspicias, lector benevole, pagellas hasce, nec obliviscere, prima literaria conamina strenuum judicis vultum horrere.

Dabam Vindobonae 30. Junio 1833.

Ignatius Hofmann.

INDEX.

Pars prima: Genius morborum epidemicus anno 1832 Vindobonae observatus.

Pars secunda: Historiae morborum notatu digniores anno 1832, in divisione quinta medica nosocomii civici universalis Viennensis tractatorum.

PARS PRIMA.

GENIUS MORBORUM EPIDEMICUS

ANNO

MDCCCXXXII

VINDOBONAE OBSERVATUS.

(Accedit cuilibet mensi tabula meteorologica.)

EXPLICATIO

tabularum meteorologicarum.

I. Fidae observationes per quindecim annos institutae docuerunt, barometrum et thermometrum Vindobonae inter haec extrema: 29.″ 0.‴ 0.⁗ — 27.″ 7.‴ 0.⁗ ac — 11.0 0. R. et + 27.° 0. fere semper fluctuare.

II. Linea interrupta (-----) designat medium statum barometri et thermometri cujuslibet mensis, qualem fere constantem observationes quindecim annorum pro hac urbe confirmarunt.

III. Linea dentata (⌴⌴⌴⌴) denotat medium statum barometri et thermometri cujuslibet mensis hujus anni 1832, Vindobonae observatum.

IV. Ventorum vim majorem vel minorem diversa literarum magnitudo exprimit, sic quoque spatii angustiae nobis loco expressionum: serenum, inserenum, nubes, pluviae, nives, tempestas, vaporosum, nebula, fulgurationes, sequentes dictarunt abbreviationes: ser., inser., nub., pluv., niv., tempes., vapor., neb., fulg.

V. Ipsae hae indicationes meteorologicae desumtae sunt ex observationibus, in specula astronomica quotidie ter (hora 8. 3. et 10.) institutis et publice factis.

Caput I.

Brevis descriptio Constitutionis anni 1831.

Januarius frigus habuit modicum praeprimis sub ejus exordio, ubi nebulosus, siccus, inserenus, autumni potius adulti quam hiemis imaginem suppeditavit; exeunte vero mense, sub lunae incremento, cum frigore auctiore nives largae constantes cadebant. Regnabat hoc mense Circius saepe impetuosus, temperatura media: — 2.65. Barometri status medius: 28'' 2''' 10''''.

Affectiones catarrhosae et rheumaticae nobis endemicae caput valde extollebant, recedente quoad intensitatem paullisper charactere stationario i. e. gastrico-nervoso; hinc frequens arthritis, rheumatismus, inflammatio articulorum rheumatica, febris rheumatica, pleuritis ac peritonitis, frequens etiam febris catarrhosa, affectio pectoris et phthisis, quae rapida coepit incrementa. Magna quoque scarlatinarum et erysipelatum caterva, minus vero hydropum passivorum et febrium nervosarum agmen, quae in bonam facile vertebantur partem; et erat quoque scarlatinae minor in hydropem nisus, quae potius transitum fecit in

rheumatismum acutum; ubique tamen congestiones ad interiora cum nota gastrica nuptae morbos comitabantur.

Februario initiante hiemis saevissimae rigor subito nos invasit, quem praecoces veris tepores mox excipiebant; frigus iterum hiemale mensem claudebat; ingratissima haec temperaturae mutabilitas augebatur per tempestatem nebulosam, humidam, quae cum pluviis vernalibus vel nivibus mox tabescentibus et asperioris Circii flamine incedebat. Temper. media: + 0.89; media baroscopii statio: 28″ 4‴ 2⁗.

Eaedem ut mense praegresso affectiones, gradu solummodo quidquam auctae; uberrima phthisium et hydropum nobis accrevit sylva, quibus haemorrhagiae et scorbutus et infarctus viscerum abdominalium sua addebant pignora, ad finem affectiones catarrhoso-rheumaticae recedebant, eminebant iterum gastricae cum nisu in adynamiam et febres intermittentes. Mortalitas hoc mense magna.

Martius variabili suo characteri praeter morem indulsit; confertissimi enim imbres vernales, nivesque vix natae deflorentes, et nebulae densae contristarunt agrum; his accessit frementis Circii impetuosum imperium; et subinde lenissimum Zephyri flamen vernale. Media temperatura: + 4.39; media statio barometri: 28″ 2‴ 11⁗.

Recedente charactere catarrhoso-rheumatico, gastricus fortiter evolvebatur, praecipue sub forma febrium intermittentium frequentissimarum, cachexia-

rum numero tamen non imminuto, imo phthisium inaudita copia, et clades canina; scarlatinae et erysipelatis adhuc sat notabilis copia; febres puerperales crudeliter saevientes; omnibus tamen morbis congestiones ad interiora et nota quaedam gastrica in adynamiam vergens sublatebat.

Aprilis mitiorem demum offerebat tempestatem constantem, unde vegetatio mirum in modum floruit; quae amoena et calida aëris constitutio, aquis paucis, nivibus vero nullis, sed hincinde explosionibus electricis sat vehementibus interrupta, sub grato nobis Euronoti imperio ad finem mensis continuavit. Media temperatura: + 10, 89. Barometri media statio: 28'' 0''' 10''''.

Eadem ut mense elapso cachexiarum series; acuti morbi pauci; febres vero intermittentes in vastam increvere epidemiam, quae qualemcumque dispositum in suam rapuit sphaeram; cum his simul febribus non exigua copia incedebat (ne dicam febrium nervosarum) adynamiarum vernalium cum nota gastrica, et eminentibus ad encephalon congestionibus.

Gratum Aprilem excepit ingratissimus Majus procellosus, frigidissimus, asper, variabilis, siccus, pluviis raro stillantibus; ventus regnabat Vulturnus; media temperatura fuit; + 12. 41; media barometri statio: 28'' 2''' 11''''.

Praeter magnum cachexiarum, phthisium inprimis et febrium intermittentium, quae nosocomium implebant, exercitum, affectio quaedam catarrhosa membranae mucosae narium, oris, faucium et orga-

norum respirationis, dominium tenuit, huic morbi formae, quam influenzam vocant, persimilis.

Totus fere Junius veris potius quam aestatis inchoantis imaginem sistens, exceptis paucis circa illius medium diebus, continuis fere madens pluviis frigidis, tempestatem exhibuit summe inamoenam, explosionibus electricis hinc inde interruptam, flante continuo Circio; temperatura media hujus mensis illam Maji vix superans fuit: + 13. 86; statio media Barometri: 28'' 2''' 7''''.

Febres intermittentes jam hoc mense rariores; influenza vero sub exordio mensis multum vigens, versus finem sensim sensimque evanescens, locum cedebat, febribus gastrico-biliosis in adynamiam nitentibus, cum eminentibus aut ad encephalon aut ad pulmones congestionibus, quae tum tempore incipiebant epidemice regnare.

Julius copioso imbre contristatus, minus tamen ac Junius, inconstans fuit et humidus, sub continuis fere Argestae spiramentis; media temperatura fuit: + 17. 46; media barometri statio: 28'' 3''' 5''''.

Praeter cachexias de die in diem numero increscentes latior epidemiae febrium nervosarum ex gastrico-biliosis ortarum, evolutio; febres intermittentes rariores.

Augustus variabilis, autumnalis; primi et ultimi mensis dies sereni, sed quidam eorum perfrigidi fuere; inprimis noctes; circa medium mensis continuae fere pluviae diurnae et nocturnae, frigidae noctes et au-

rorae; fremebat hoc mense impetuosus Circius; media temperatura fuit: + 15. 76; media barometri statio: 28″ 2″ 6‴′.

Initiante Augusto febribus intermittentibus et nervosis, quae praeter cachexias varias omnem in se rapiebant aegrorum exercitum, accedebant cholerae quidam casus sporadici, exhaurientes tamen et a levi scilicet errore nati, ad mensis finem usque numero increscentes; his accedebant affectionum gastricarum uberrima sylva, vel sub forma vomitus aut diarrhoeae, aut dysenteriae, quibus clandestinae ad interiora congestiones, subito saepe malignitatem tribuerunt; hinc morbis saepe improviso implicabatur apoplexia, congestiones ad encephalon manifestae, haemoptoe, pneumonia, pleuritis, phthisium pulm. exasperatio, et tamen misso pauco sanguine cita adynamiae evolutio.

September serenior et constantior; non rarae tamen pluviae et nebulae; dies hinc inde calidissimae cum noctibus frigidissimis alternabant; maxima vero temperaturae mutatio et summe sensilis fuit post medietatem mensis, ubi dies quaedam asperrimae cum pluviis non interruptis frigidis, flante Circio impetuoso, a tempestate excipiebantur serenissima, frigida, hiemali; residua Septembris pars sub Euronoti imperio miti gratissima fuit; media temperatura fuit: + 11. 29; medius barometri status: 28″ 3‴ 3‴′.

Cholera *) exceptis morbis prioris mensis, spora-

*) Circa hanc epidemiam lege relationem sub titulo: Beobachtungen über den epidemischen Brechdurchfall. Gesammelt im k. k. Kran-

dice adhuc, quin orientalis illius natura lateret, serpebat ab initio usque ad diem 14, quo, post pluvias frigidas per 3 dies continuatas, frementc simul impetuoso Circio, subito ejus epidemia prorupuit, et ad mensis finem usque crudeliter saeviens aegros non paucos ad stygias duxit aquas.

Mense Octobri, sub miti Eurenoti imperio serenissima nobis favebat tempestas, sicca, calida, hincinde aestuosa, cum noctibus tepidis, nebulis non raris; media temperatura: + 10. 53; medius barometri status: 28'' 5''' 5''''.

Praeter cachexias et affectiones gastricas febriles aut afebriles, sub quacunque forma imprimis diarrhoeae late dominantes, regnabat dira ista cholera, quae majora non amplius capiens incrementa, sub mensis fine potius parumper jam decreverat; febrium intermittentium et nervosarum jam exiguus nunc numerus; versus finem hujus mensis scarlatina frequentius visa, et febres ac inflammationes rheumaticae majorem genii annui prae stationario eminentiam praebebant; sed raro aegrorum copia in nosocomio nostro tam exigua visa fuit, qualis nunc erat, ast eo major mortuorum numerus.

November incepit cum pluviis nebulisque; circa medium dies aliquae serenae, sub altero ejus dimidio procellosae; Circius fremebat impetuosus nivesque

kenhause in Wien, und mitgetheilt von Dr. Franz Güntner, Director dieser Anstalt; in med. Jahrb. d. österr. Kaiserst. Bd. 11. St. 4.

nobis adduxit; media temperatura fuit: + 3. 51; medius barometri status: 28'' 3''' 5''''.

Initiante hoc mense character activus iterum deferbuit; frequentiores fuere affectiones catarrhosae; rediere febres intermittentes et gastrico-nervosae, uti mense Julio; morborum lenta decurrendi ratio, et nisus praecipue in hydropem. — Cholera ipsa non obstante mala tempestate vix ulla cepit incrementa, imo sensim sensimque ad Novembris finem decrevit; aegrorum numerus multem hoc mense increvit.

December, quamvis nebulis, pluviis et nivibus non adeo raro contristatus, non paucos tamen numeravit dies serenos, modo sub asperioris Circii vel mitioris Euronoti imperio; media temperatura fuit: + 0. 07; medius barometri status: 28'' 4''' 3''''.

Sub mensis exordio jam cholera fere nulla; sed eo major cachexiarum, inprimis hydropum et phthisium numerus et affectionum catarrhoso-rheumaticarum uberrima sylva.

Ex his omnibus vero patet tempestas anni 1831 autumnalis; autumnus enim ex anno 1830 nobis loco hiemis continuabatur; hiems mitissima fuit et postposuit, et breve emensa est spatium; cum Majus hiemis potius claudentis imaginem referret. Junius incipientis veris exemplum offerebat; sub Julio aestas; Augustus autumnum provectum monstrabat; qui tandem, ut saepius Vindobonae fit, gratam reduxit et congruam tempestatem. Media temperatura fuit: + 8. 20; media Barometri statio: 28'' 3''' 3''''.

Character morborum hujus anni adynamico-gastricus, qui regnante cholera in acme versabatur, abhinc lento solum passu decrevit.

Notiones hujus anni quantitativae clariores ut fiant, sequens inserviat tabula.

Conspectus tabellaris sistens quantitativam aegrorum ad nosocomium rationem.

1831	dierum	Intrarunt	Dimittebantur	Mortui sunt	Media proportionalis pro quolibet die.	Intrarunt	Dimittebantur	Mortui sunt	Notae.
Januarius	31.	2151	1793	239		69 (70)	58	8	
Februarius	28.	2220	1858	273		79	66 (67)	10	
Martius	31.	2396	2099	354		77	68	11 (12)	Febres intermittentes frequentissimae.
Aprilis	30.	2470	2192	351		82 (83)	73	12	Epidemia febrium intermittentium et frequentes adynamiae vernales.
Majus	31.	2457	2219	298		79	72	9 (10)	Epidemia intermittentium in acme. Epidemia influenzae similis evolvitur.
Junius	30.	2540	2311	309		85 (84)	77	10	Epidemiae intermittentium et influenzae decrescunt. Epidemia febrium gastrico-nervosarum evolvitur.
Julius	31.	2057	1911	241		66 (67)	62 (61)	8	Epidemia intermittentium ad finem pergit. Epidemia feb. nervosarum magis evolvitur.
Augustus	31.	2384	1983	259		77	64	8 (9)	Epidemia febrium nervosarum in acme versatur. Cholerae orientalis singuli casus occurrunt.
September	30.	2257	1907	478		75	64 (63)	16	Epidemia feb. nervosarum decrescit. Epidemia cholerae orientalis erumpit crudeliter saeviens.
October	31.	1825	1823	397		59	59	13	Epidemia febrium nervosarum silet. Epidemia cholerae orientalis continuat minori vehementia.
November	30.	1841	1361	266		61 (62)	45 (46)	9	Cholerae epidemia decrescit.
December	31.	1795	1523	226		58	49	7	Cholerae epidemia ad finem vergit.
Summa ...		26393	22980	3691	Media proportionalis totius anni pro die.	72 (73)	63	10 (11)	

Caput II.

Brevis descriptio Constitutionis anni 1832.

Januarius tristis ac nebulosus non frigidus, aquas hinc inde, paucas vero nives suppeditans, autumni potius quam hiemis imaginem nobis praebuit.

Februarius ab initio inserenus, dein dissipatis per ventos nebulis, ante mensis dimidium usque ad finem serenus; frigidus, siccus; nives rarissimae.

Martius serenus; siccusque sub noctibus pruinosis et nebulis matutinis, pluviae rarae, nives nullae.

Aprilis mutabili suo genio praeter morem indulsit; sub initio enim, post teporem vernum, venti boreales nobis secundam reduxere hiemem, nives scilicet et glaciem, quam iterum calida, serena, quieta et recreans excepit aura vernalis; ad finem iterum rediit aspera tempestas frigidior.

Mense Majo, qui autumnalis dici merebatur, si ejus initium et finem respexeris, crebro denuo mutatio ex calore in frigus, ex pluviis in siccum, ex coelo sereno in nubilum, ex procella in ventorum quietem fuit.

Junius incepit cum serena coeli facie et aestu molestissimo, praefocante, quem explosiones electricae intensae cum pluviis confertissimis dissiparunt; ab hoc tempore usque ad finem tempestas regnabat inserena, variabilis, cum noctibus frigidis.

Julius infausti Junii dignus successor, praeter breve intervallum lucidum, copioso imbre contristatus fuit, ut omnis fere dies aquam funderet, flante continuo vento occidentali; interjectis hinc inde tempestatibus cum fulgure et tonitru.

Mense Augusto tandem post multa nubila Phoebus, coeli facies serena, aër recreans, amoenus, siccus, crebra tonitrua, pluviolae saepe gratae, flante continuo Zephyro molli.

Septembri quoque grata mensis praegressi tempestas continuavit, nebulis matutinis et vespertinis, ac pluviis non rara comitata, cum noctibus serenissimis claris, altero mensis dimidio intense frigidis; spirabat et nunc continuo fere Zephyrus.

October, ut apud nos saepe fit, serenissimus fuit, excepta hebdomade secunda, cum noctibus prioris medietatis frigidis autumnum supplens; rara pluvia; et hoc mense Zephyrus.

Sub Novembri mutabili, pluvioso frigido, nivoso, procelloso, et nebuloso recruduit iterum tempestas, dum alternaret cum Zephyro molli Euronoti dominium.

Eandem fere exhibuit December imaginem, quam November, pluviis, nivibus, nebulis, ventisque abun-

dans, excepto illius fine, quo subitaneum gelu, magnam aëris sicci et puri tensionem induxit. Spirabat ventus occidentalis.

Medius barometri status:		$28'' \; 4''' \; 3''''$
Maximus „ „		$28'' \; 10''' \; 4''''$ die 24. Jan.
Minimus „ „		$27'' \; 8''' \; 8''''$ die 30. Ap.
Maxima vicissitudo		$1'' \; 1''' \; 8''''$
Media temperatura:	+	7.80
Maxima „	+	29.0 die 14. Jul.
Minima „	—	19.0 die 3. Jan. et 15. Dec.
Vicissitudo maxima		38.0

Stationarium morborum genium, quem ex anno 1829 regnantem vidimus: *gastrico-nervosum*, ultro dominium et hoc anno exercuisse; neminem non fugiet, qui et varias morborum species, hoc anno in nosocomio vidit, et peculiarem illorum decursum, et choleram ipsam, utpote dirum nefasti hujus genii florem attenta volutet mente. *Annuum* vero *characterem* peculiari hujus genii stationarii influxu, a tramite consueto quidquam aberrasse brevis conspectus indicabit.

Mense Januario genius regnavit *rheumatico-catarrhosus*, qui ad finem mensis magis ad activum accedere videbatur; sed laeta nos fefellit spes; loco characteris inflammatorii, ut hiemi convenit, autumnalis ille perduravit etiam mense Februario, ea solum cum differentia, ut catarrhosus magis recederet, et mense exeunte gastricus associaretur. Mense Martio eundem genium ulterius increvisse vidimus, ad-

aucta solum paullulum indole inflammatoria, ita ut ex connubio genii rheumatici subinflammatorii et gastrici *pleuritidem biliosam* Stollii saepius emergentem observassemus. Eadem etiam scena mense Aprili, praedominante solum charactere gastrico; recessere nunc pleuritides biliosae, intermittentes vero caput extollere coeperunt. Mense Maji charactere rheumatico fere penitus silente, gastricus ulteriora cepit incrementa, qui nunc per *4* menses i. e. Majo, Junio, Julio et Augusto tyrannidem exercuit; omnes morbos suae subjiciens ditioni. Increvit ad immensam copiam mense Majo grex intermittentium et affectionum gastricarum. (Saepius visa fuit scarlatina et variola.) *Cholera* ipsa vix exstincta in novas erupuit flammas funestas. Minuebantur mense Junio quidem intermittentes febres, augebantur vero gastricae, cholera in dies magis saeviente. Eadem scena mense Julio; intermittentes nullae; morbi gastrici et gangetica pestis nosodochium implebant. Mense Augusto ad finem vergente, prima tandem futuri characteris magis inflammatorii aurora. Erysipelata — transgressum, quasi e genio mere gastrico, ad inflammatorium formantes — in lucem prodiere, *cholera* ad mensis finem quidquam *decrescente*. Mense Septembris benignus genii autumnalis influxus magis conspicuus. Iterum *rheumaticae* et *catarrhosae febres* frequentiores; cholera praeter spem cito decrescens et penitus *extincta*. Scarlatina epidemice nunc grassari incepit; intermittentes vero — secus hoc anni tempore admodum frequentes — vix ullae

Conspectus tabellaris sistens quantitativam aegrorum ad nosocomium rationem.

1832	dierum	Intrarunt	Dimittebantur	Mortui sunt		Intrarunt	Dimittebantur	Mortui sunt	Notae.
Januarius	31.	2059	1636	227	Media proportionalis pro quolibet die.	66 (67)	53	7 (8)	
Februarius	29.	1887	1618	246		65	56	8 (9)	
Martius	31.	2059	1767	273		66 (67)	57	9	
Aprilis	30.	1836	1403	277		61	47	9	Febrium intermittentium dominium epidemicum.
Majus	31.	2254	1797	333		73	58	11	Cholerae epidemicae secunda eruptio. Intermittentes epidemicae.
Junius	30.	2112	1878	289		70 (71)	63 (62)	10 (9)	Cholera epidemica increscit.
Julius	31.	2294	1916	385		74	62	12	Cholera epidemica increscit.
Augustus	31.	2626	2016	513		85 (84)	65	16 (17)	Cholera epidemica in acme versatur.
September	30.	2004	1947	340		67	65	11 (12)	Cholera epidemica cito decrescit et finitur.
October	31.	1772	1649	200		57	53	6 (7)	Scarlatina et variolae latius extensae dominantur.
November	30.	1845	1370	199		61	46 (45)	7 (6)	Itidem.
December	31.	1790	1523	176		58 (57)	49	6 (5)	Initium epidemiae morbillosae.
Summa . . .		24538	20520	3458	Media proportionalis totius anni pro die.	67	56	9 (10)	

visae. Recessit ultro mense Octobri character gastricus, magis evolvebatur catarrhoso-rheumaticus. Scarlatina ultro grassari pergebat et variola quoque late extensa. Idem mense Novembri observatum. Mense Decembris tandem rheumaticus prae catarrhoso valuit genius epidemicus. Decrevit scarlatina, morbilli illius vestigia secuti, dum scilicet initium sistebant epidemiae morbillosae.

Insignitur hic annus exiguo numero inflammationum, excedente affectionum gastricarum copia. Decursus per totum annum lentus, odiosus, sine crisi, praeter normam protractus, sine ullo fere naturae medicatricis vestigio.

Rationes aegrorum quantitativae ex adnexo schemate elucebunt.


Caput III.

Januarius.

Tempestas ingrata ac nebulosa, quae fere continuo ad finem anni praegressi, scilicet mense Novembris et Decembris regnaverat, dominabatur quoque per totum fere Januarium, pluviis raro interrupta et nivibus, nisi ad finem hujus mensis, ubi tamen parcae cadebant, tenerae, citoque diffluentes, ita ut videres medio Januario agros nivium tegmine destitutos, fallaci superbientes virore; magna simul fuit aëris tensio, valde ingrata, quae Mercurium ad tantam attollebat altitudinem, qualis eodem anni elapsi mense vix conspiciebatur. Temperatura si mediam respicias, altior fuit ac illa mensis praegressi, ita ut non raro auram quasi vernalem sentires.

	Thermometri.		Barometri.	
Altitudo maxima grad.	+ 11. 2.	die 11.	poll. 28″ 10‴ 4⁗	die 24.
— minima, —	— 9. 0.	die 3.	„ 27. 11. 9.	— 14.
— media, —	— 0. 67.		„ 28. 5. 4.	
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	10. 0. (a die 10 — 11.)		„ 0. 8. 0. (a die 14 — 15.)	

Ventus hoc mense flans fere solus Vulturnus fuit, cum Circio alternans, modice tamen spirans, saepius adhuc quietus.


Barometrum reduct. ad 0° R.
Thermometrum Reaumuri
Januarius.

Pluviae cadebant 9 diebus.

Nives habuimus 4 diebus.

Procellae diebus 10 et 11 ex Occidente.

Phases lunae: ● 3; ☽ 11; ○ 17; ☾ 24.

Qui, regnante apud nos cholera, in acme versatus est genius stationarius scilicet *gastrico-nervosus* per totum quoque Januarium regnare pergebat; quamvis illius in morbos influxus multum jam imminutus esset. *Mensibus Septembris*, *Octobris et Novembris* tantum fuit illius praedominium et in genium epidemicum annuum influxus, ut excepta cholera alios fere nullos videris morbos, nisi qui originem suam causis debuissent occasionalibus prorsus singularibus.

Mense Decembris, quod genius stationarius tenebat imperium simul cum epidemia cholerae decrevit; locum cedens genio et morbis — non hiemalibus sed potius autumnalibus, rheumaticis, catarrhosis, et intermittentibus, prorsus fere silente charactere huic anni tempori proprio, — inflammatorio. Eminebant inter morbos alios praesertim febres rheumaticae et affectiones rheumaticae afebriles; his proxime accessere febres catarrhales et affectiones catarrhosae, quae per totum mensem et inprimis versus finem late dominabantur; febres nervosae frequentius occurrebant, ac mense praegresso congestionibus plerumque ad caput aut pectus stipatae *), rariores fuere gastricae, eaeque saburrales; febres tandem in-

*) Vide historias morborum febrium nervosarum Nr. 1, 2, 4 et 6.

termittentes, quamvis non rarae, multo tamen pauciores fuere ac anno praegresso. Inflammationes genuinae, praecipue phlegmonosae rarissimae observabantur; cachexiae frequentes et pertinacissimae, inter has eminebant phthises et hydropes.

Cholera paucos invasit, eosque minori vehementia, sub forma cholerinae facile ceterum sanandae; in morbum vero luculentiorem et timendum erumpendae, ubi negligebatur; idem valnit de diarrhoea cholerica, haud raro occurrente; ampla vero patebat occasio animadvertendi singula choleram constituentia symptomata, quales fuere vel congestiones ad diversa organa, praesertim encephalon, vel affectiones spasticae aut vomitus vel diarrhoeae sine ansa quadam nota exortae.

Mense jam ad finem vergente, character morborum magis activus quoque factus est (simul cum tempestate intensius frigida); hinc frequentiores quoque fuere inflammationes, praecipue organorum respiratoriorum, magis tamen catarrhosae et rheumaticae. Quod morborum decursum spectat, is lentus fuit sine claris signis vis naturae medicatricis, sine ullis fere criseos symptomatibus. Morbis quibuscunque facile accessere congestiones ad caput, vel in sensibilioribus, praecipue in sexu sequiori algiae variae. Quibus omnibus computatis elucet genius morborum hoc mense regnans: rheumatico-catarrhosus, genio tamen stationario, i. e. gastrico - nervoso semper vigente. Cholera epidemica paucos (14) hoc mense invasit;

magna tamen vehementia, ut post brevem morbi durationem (2do plerumque die) major eorum pars occumberet.

Quod quantitatem attinet aegrorum in nostro nosocomio, ad hunc mensem relatam, ex schemate mox adducendo sequentia elucent:

1mo. Modicus aegrorum, hocce nosocomium adeuntium, numerus, qualis Decembri elapso fuit, non multo majora cepit, decurrente hocce mense, incrementa, id quod de mortuis quoque valet.

2do. Aegrorum intrantium, dimissorum et mortuorum numerus, aequalem semper per totum mensem servabat rhytmum.

3tio. Haecce aegrorum quantitas, cum eodem anni elapsi mense comparata, vix ullam offerebat notabilem differentiam.

	Mense Januario 1832 (31 dierum).	Mense praegresso (31 dierum).	Januario anni 1831 (31 dierum).
Intrarunt:	2059	1795	2151
Dimittebantur:	1636	1523	1793
Mortui sunt:	227	226	239

Calculus specialis mensis Januarii anni 1832.

	intrarunt	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade intrarunt:	483;	dimitteb.: 288;	mortui sunt: 47.
— secunda — —	491;	— 395;	— — 46.
— tertia — —	413;	— 417;	— — 52.
— quarta — —	467;	— 348;	— — 59.
— ultimis tribus diebus —	205;	— 188;	— — 23.
Summa totalis sequens:	2059;	— 1636;	— — 227.

Media proportionalis pro quolibet die.

	intrarunt	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade intrarunt:	69;	dimitteb.: 41;	mortui sunt: 7.
— secunda — —	70;	— 56 (57);	— 7 (6).
— tertia — —	59;	— 60 (59);	— 7 (8).
— quarta — —	67;	— 50;	— 8 (9).
— ultimis 3 diebus —	68;	— 62;	— 7.
Media proport. pro toto mense	66 (67);	— 53;	— 7 (8).


Maximus aegrorum numerus: 98; intravit die 9.

Minimus — — 40; — — 15. et 22.

Maximus mortuorum — 14; fuit — 25.

Minimus — — 1; — — 24.

Thermometrum Reaumüri. Barometrum reduct. ad 0° R.



Februarius.

Caput IV.

Februarius.

Tempestas inserena et nebulosa, quae a tribus jam mensibus continuo regnavit, sine ullis pluviis, cum frigore tamen modico, et alta citra normam barometri columna, continuavit et hoc mense, usque ad 12. Februarii, quo, mutatis ventis per tres aut quatuor hebdomadas constanter haud amoene spirantibus: Circio, Favonio, et Lybio in Vulturnum; dissipatis nebulis, serena siccaque tempestas nobis arridebat; increscente tamen frigore, et perstante altissima barometri elevatione; mane et vesperi vero nebulae continuarunt densae frigidaeque, usque tamen et his, flante intra diem 22 et 25 vento boreali, multum dissipatis, ipsae noctes serenissimae evaderent; frigus vero increvit, praecipue mane et de nocte, ita ut temperaturae extrema uno eodemque die multum a se distarent, e. g. die 24. Febr. quo mane — 1.5° R. et ad meridiem + 9.0° R. fuit:

	Thermometri.			Barometri.				
Altitudo maxima grad.	+ 9.0	die 24.	poll.	28.	10.	3.	die 20.
Altitudo minima grad.	— 7.0	die 15.	,,	27.	11.	5.	— 2.
Altitudo media grad.	+ 1.24		,,	28.	6.	2.	
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	10.0	(die 24.)	,,	0.	6.	2.	(die 4.)

Ventus hoc mense dominabatur Vulturnus.

Nives nullae.

Pluvias habuimus diebus 4.

Phases lunae: ● 1; ☽ 9; ○ 16; ☾ 23.

Februarius igitur, ut brevem ejus pingamus iconem, hiemis imaginem non meliorem sistebat quam menses praegressi, serum potius aemulans autumnum, primo inserenum, dein vero ante dimidium mensem usque ad finem serenum, frigidum, siccum. Febres hoc mense regnantes rheumaticae plerumque fuere et catarrhosae, quae ultimae ineunte et ad finem vergente mense Februario frequentiores observabantur. His exceptis eminebant vero prae ceteris hoc mense febres gastricae, non vero saburrales; sed potius gastrico-biliosae, et hae ad medium mensem frequentissimae, ita ut videres linguam muco flavescente crasso abductam, saporem amarum, ructus amaros, vomituritiones ipsumque vomitum biliosum, nec non diarrhoeas ejusdem indolis, regionem hepatis sub attactu dolentem; quin imo hepatitides leviores non rarae occurrebant, nec non aliis morbis associata haec desiderabatur nota gastrico-biliosa. Febres nervosae non rarae fuere, eaeque plerumque congestionibus ad encephalon vel pulmones stipatae *).

Febres intermittentes non multum frequentes,

*) Vide historiam morbi Nr. 6. febris gastrico nervosae.

eaeque ut plurimum quartanae (constitutioni respondentes autumnali).

Inflammationes phlegmonosae perrarae, frequentiores paullulum rheumaticae, uti: pleuritides, peritonitides, inflammationes articulorum rheumaticae; exeunte vero Februario inflammationes quoque crebrius visae, praecipue catarrhosae; ex quibus eminebant anginae; coryzae late dominabantur; exanthemata rara, inter quae eminebat scarlatina *). Cachexiarum major ac annis praegressis numerus; phthises praesertim et hydropes.

Cholera orientalis, quamvis sat vehemens, minus tamen rapide decurrens, paucissimos, eosque vel aetate vel jam morbis confectos, in nosocomium misit aegros, nihilominus major eorum pars sanabatur, ut mense exeunte nullum teneret nosocomium aegrum cholera affectum.

Morborum decursum in omnibus morbis tam acutis quam chronicis lentum invenimus, nullumque ad crises solennes nisum, ut lysi potius morbi acutissimi lente solverentur. Continua inter characterem activum et passivum fluctuatio, concitato vero semper sanguinis circulo, ita ut stimulantibus nullus fere locus esset; alterantibus potius, solventibus, eccoproticis salinis optimum praestantibus effectum **).

---

*) Vide Hist. morbi Nr. 9 et 19. Scarlatinae.

**) Vide historias morborum Nr. 4 et 8, febrium, activum inter et passivum characterem fluctuantium.

Sub hac morborum solutione (lysi), sanguis ad encephalon vel pectus saepissime aperte congerebatur, modo potius passivo quam activo, id quod in febribus nervosis observandi frequens occasio fuit. — Vergente jam ad finem mense (facta in serenam tempestatis mutatione), tandem genius morborum magis inflammatorius esse coepit, ita, ut et decursus morborum magis praecipitaretur, et hinc inde in febribus catarrhosis quoque venaesectione opus fuisset. Pneumoniis facilis in decursum chronicum et phthisim nisus. Primis 14 diebus hujus mensis, phthisium decursus rapidus, lentior ultimis 14 diebus. Hydropum decursus admodum lentus; diuresis parca, aut sub larga etiam urinarum excretione hydropis augmentum, cum majori in scorbutum proclivitate.

Ulcerum et bubonum ulcerantium in gangraenam nisus frequens.

En schema tandem, quod aegrorum hocce nosocomium intrantium, dimissorum et mortuorum numerum exponit.

	Mense Februario 1832 (29. dierum).	Mense praegressio (31. dierum).	Mense Februario 1831 (31. dierum).
Intrarunt :	1887	2059	2220
Dimittebantur :	1618	1636	1858
Mortui sunt :	246	227	273

Calculus specialis mensis Februarii anni 1832.

In prima hebdomade intrarunt:	501;	dimitteb.:	359;	mortui sunt:		63.
— secunda —	—	449;	—	385;	—	— 52.
— tertia —	—	431;	—	398;	—	— 65.
— quarta —	—	506;	—	476;	—	— 66.
Summa summarum	—	1887;	—	1618;	—	— 246.

Media proportionalis pro quolibet die.

In prima hebdomade intrarunt:	71;	dimitteb.:	57;	mortui sunt:		9.
— secunda —	—	69;	—	65;	—	— 8.
— tertia —	—	61;	—	59;	—	— 8.
— quarta —	—	72;	—	68;	—	— 9.
Media proportionalis pro toto mense	—	67;	—	58;	—	— 9.

Maximus aegrorum numerus : 91; intravit 1mo et 7mo.

Minimus — — 41; — 18vo.

Maximus mortuorum — 15; fuit 25to.

Minimus — — 2; — 13tio.


Ex hoc schemate rite perpenso elucet:

1mo. quod aegrorum numerus, hoc mense nosocomium nostrum adeuntium, illi prioris mensis aequihaberi possit; mortuorum vero copia multo major fuit.

2do. Quod vero tam aegrotantium quam mortuorum, per totum mensem, distributio aequalis fuerit ut mense elapso.

3tio. Quod calculus hic cum illo ejusdem mensis anni 1831 comparatus, minorem tam aegrotantium, quam mortuorum involvat rationem.

Martius.



Caput V.

Martius.

Tempestas serena siccaque, quae alterum mensis praegressi dimidium ornavit, continuabat etiam fere per totum Martium, cum noctibus vero frigidis, pruinam deponentibus; id quod elapso mense non contigit, aurora, ut plurimum per tenuem nebulam frigidam contristata. A die 17 — 25 inserena erat tempestas, pluviis cadentibus non adeo largis; aëris tensio minor fuit; mercurius in barometro non adeo constans, ac mensibus praegressis; sublimior tamen ineunte quam exeunte mense. Frigus versus initium majus ac ad finem.

	Thermometri.	Barometri.
Altitudo maxima grad.	+ 14.0; die 31.	poll. 28. 7.8; die 1.
— minima, —	— 3.0; die 5.	— 27. 8.11; die 20.
— media, —	+ 3.89;	28. 3.7;
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	11. 3; (die 31.)	0. 6.0; (a die 20 — 21.)

Venti paucis exceptis fluctuabant Vulturnum inter et Argestem, sub miti tamen imperio.

Nives cadebant nullae.

Pluviae cadebant 10 diebus largissimae.

Phases lunae: ● 2; ☽ 9; ○ 16; ☾ 24;

Character epidemicus, qui mense Februario autumnalis magis erat, nunc subito in vernalem mutatus, quin constitutio morborum hiemi propria consuetum et naturae conformem transitum fecisset. Vidimus hoc mense vix ullum morbum, cui non affectio quaedam gastrico-biliosa se associasset; unde diversissimae complicationes exortae, de quibus infra.

Regnabant vero ex febribus, rheumaticae hoc mense prae catarrhosis, cum manifestis, inprimis mense ad finem vergente, congestionibus ad pectus; febres gastricae κατ ἐξοχην biliosae, et character lateralis biliosus, frequenter occurrebant, magis tamen sub fine mensis; febres catarrhosae per totum mensem conspiciendae majori tamen copia ex die 14 usque ad 20; febres nervosae frequentiores sub initio mensis, quam ad medium et finem, numero tamen non excedentes; febres intermittentes, quarum typus tertianus, crebrae ad finem mensis, minori tamen gradu, quam consuetim Viennae hoc tempore, quamvis ad medium et exeuntem mensem typus aliquis subcontinuus etiam in reliquis febribus facile observandus fuisset. Inflammationes ineunte mense passim sparsae, crebriores ad medium, frequentes ad finem mensis. Praevalebat tamen indoles rheumatica. Phlogoses genuinae perrarae et si erant solum ad finem mensis *). Ultimis septimanis character inflammatorius, rheumaticus, cum bilioso fere semper conjunctus, ita ut pleuritis biliosa *Stollii*

*) Vide historiam morbi Nr. 11. Pleuro-peripneumoniae.

anni 1776 fere recurrere videretur; nec differebat hoc mense observata pleuritis biliosa ab illa, nisi minori indolis inflammatoriae intensitate, et eo, quod emetica minus indicata essent, ob vomitum per se jam facilem materiei ceterum non adeo crudae et tenacis, quam tum temporis; quare solventibus potius antibiliosis et leniter evacuantibus optime debellavimus morbos, qui ab initio gravissimi videbantur. His accedebant inflammationes articulorum rheumaticae praesertim ad medium et finem mensis, et pneumoniae rheumaticae, id tamen singulare habentes, quod facta unica venaesectione totus morbus quasi resectus videretur; et sine ulla crisi convalescerent aegri, qui sub morbi initio gravissime decumbere videbantur; praeterea pleuritides et peritonitides medio et exeunte mense frequentes *). Hepatitides non adeo rarae, ex affectione potius inflammatoria peritonaei ortae. Exemplo inserviat sequens hepatitis levior:

Serva 28 annos nata ex aspectu morientis infantis, dum uterus floreret, terrore percussa, biliosa affatim vomit et dejicit, dolente simul cum tumore hypochondrio dextro, cui scenae in diem auctae, flava mox totius cutis tinctura supervenit, et linguae cum acidulorum appetentia amara obductio, bileos in excrementis abundantia, febris subinflammatoria. Die morbi septimo et sequentibus largiores cum levamine excretio-

*) Vide historiam morbi Nr. 10, quae Peritonitidem rheumaticam tractat.

nes, praesertim alvi, et universale morbi decrementum; post 14 dies, decrescentibus sensim symptomatibus biliosis, simul cum hepatis dolore, morbus solvebatur. Cataplasmata emollientia, et largus decocti hordei tamarindinati haustus serius cum Taraxaco commutabantur.

Exanthemata perrara; cachexiae frequentes; scorbutus praesertim frequentior, quam consuetim hoc anni tempore, et sat magnae intensitatis; phthisicorum clades summa. Ex nevrosibus, hysteriae haud rarae. Tussis spasmodica frequens, per Ipecacuanham et narcotica facile sananda. Colicae saturninae, aestatis tempore alioquin regnantis, sub ineunte mense plures in nosocomio casus vidimus. Cholera ad mensis initium et finem caput extollebat (16 tractavimus decurrente hoc mense aegros cholera adfectos). Casus vero occurrentes plerumque graves exitiales. Decursus in genere lentus, et ut prioribus mensibus vix crisi solenni stipatus; mense exeunte tamen major naturae medicatricis energia, hinc et molimina quaedam critica *) in febribus per urinas, sudores et miliaria nonnunquam **). Sic et in inflammationibus sub fine mensis major copia venaesectionum urgebat. In genere methodus optima fuit solvens, leniter evacuans, antibiliosa; stimulans rarissime et cautissima solum manu indicata; alvi se-

---

*) Vide historiam morbi Nr. 11, Pleuroperipneumoniae.

**) Vide historiam morborum Nr. 4 et 7 febrium nervosarum cum miliariis criticis.

gnities tanta, ut salibus mediis fortioribus et majori dosi exhibitis, vix agentibus, ad Sennam ut plurimum confugiendum, electuarium vero lenitivum fere plurimis exhibendum fuisset.

En iterum schema exponens rationes quantitativas aegrorum hoc mense nosocomium adeuntium, dimissorum et mortuorum:

	Mense Martio 1832 (31. dierum).	Mense praegresso (28. dierum).	Mense Martio anni 1831 (31. dierum).
Intrarunt :	2059	1887	2396
Dimittebantur :	1767	1618	2099
Mortui sunt :	273	246	354

Calculus specialis mensis
Martii anni 1832.

	intrabant	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade intrabant :	451 ;	dimitteb. : 405 ;	mortui sunt : 54.
— secunda — —	499 ;	— 408 ;	— — 64.
— tertia — —	453 ;	— 401 ;	— — 51.
— quarta — —	469 ;	— 378 ;	— — 77.
— ultimis 3 diebus —	187 ;	— 175 ;	— — 27.
Summa totalis sequens —	2059 ;	— 1767 ;	— — 273.

Media proportionalis pro quolibet die.

	intrabant	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade intrabant :	64 ;	dimitteb. : 58 ;	mortui sunt : 8.
— secunda — —	71 ;	— 58 ;	— — 9.
— tertia — —	64 ;	— 57 ;	— — 7.
— quarta — —	67 ;	— 54 ;	— — 11.
— ultimis 3 diebus —	62 ;	— 55 ;	— — 9.
Media proportionalis pro toto mense —	66 ;	— 57 ;	— — 9.

Maximus aegrorum numerus :	86 ;	intravit	die 13 et 27.
Minimus — —	49 ;	—	— 4 — 23.
Maximus mortuorum —	14 ;	fuit	— 13 — 24.
Minimus — —	3 ;	—	— 15 — 21.

Ex hoc schemate elucet:

1mo. Quod aegrorum numerus, hoc mense nosocomium nostrum adeuntium idem fuerit ac mense elapso, id quod etiam de mortuis valet, uterque autem numerus non adeo eminet prae consueta aegrorum et mortuorum copia.

2do. Aegrorum et mortuorum per hunc mensem distributio uti elapso aequabilis fuit.


3tio. Ad eundem, anni 1831, mensem relatum hoc schema multo minorem exhibuit, quam tum temporis, aegrorum et mortuorum rationem.

Caput VI.

Aprilis.

Ab initio hujus mensis rediit hiems (postquam per 6 — 7 hebdomadas aëre calido vernali consopiti fueramus); flantibus scilicet vehementer ventis borealibus ad occidentales vergentibus, asperis, frigidis, summe ingratis, qui nobis nives reducebant, quamvis parcas, glaciemque ad fenestras deposuere; mercurio simul in barometro admodum elevato. Durabat haec scena molesta, usque ad decimum primum, quo tempore ventus borealis, frigidus asperrimus in oppositum, Austrum scilicet ad Eurum vergentem, mollem, tepidum, calidum, sensim mutabatur, remittente tamen quidquam magna aëris tensione, ita ut barometrum circa 28. 3.5 fluctuaret; perstabat vero siccitas ingrata; (quae tanta fuit hoc tempore, ut molae propter exsiccatos rivos suis non amplius pellerentur aquis) tempestas inde calida, serena, quieta, recreans; et noctes quoque continuo serenae, tepidae, quietae. Continuavit gratior haec tempestas ab 11. usque ad 21. quo iterum cum Circio post paucas pluvias tempestas rediit autumnalis, inserena, frigidior, aspera, Martium supplens, et morbos renovans activos subinflam-

Aprilis.



matorios. Ultimus tandem Aprilis gratus fuit, fervidi fere caloris, + 19° 8. R. quum tamen ante 4 dies temperatura ad + 4° R. depressa fuisset.

	Thermometri.		Barometri.	
Altitudo maxima grad.	+ 19. 8.	die 30.	poll. 28. 8. 11.	die 3.
— minima —	— 1. 0.	— 9.	— 27. 8. 8.	— 30.
— media —	— 8. 50.		— 28. 3. 9.	
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	14. 0. (die 12.)		— 0. 3. 8. (die 5.)	

Ventus dominans fuit Circius.

Nives cadebant 3 diebus.

Pluviae stillabant 10 diebus.

Phases lunae 🌑 1; ☽ 8; ☺ 15; ☾ 23; 🌑 30.

Qui in secundo Martii haemisphaerio regnabat character morborum vernalis, i. e. subinflammatorio-rheumaticus simulque gastrico-biliosus, cum apertis ad caput et pectus congestionibus, magis adhuc evolvebatur hoc mense, ita quidem, ut character gastrico-biliosus ad initium mensis late regnans et omnibus fere morbis accedens, altero mensis dimidio quidquam decrescere videretur, character vero morbi subinflammatorius cum congestionibus ad caput et pectus perstaret, imo versus finem mensis intensitate adhuc augeretur *) eadem ratione, qua aëris constitutio magis a vernali deflectens, ad autumnalem mense exeunte accederet.

Ex febribus rheumaticae et catarrhosae sat fre-

---

*) Vide historiam morbi Nr. 19. quae Scarlatinae anomalae mala posthuma pertractat.

quenter occurrebant; eminebant vero gastrico-biliosae sub fine mensis; gastricis saburralibus et intermittentibus locum cedentes, quae vernali typo tertiano jam mense elapso indutae, nunc et quantitate insigniter augebantur. Nec rarae fuere febres nervosae. — Ex inflammationibus continuabant primis hebdomadibus adhuc pleuritides biliosae; recedente vero sub fine mensis charactere bilioso, et inflammatorio iterum sensim emergente, haec species magis magisque evanuit, locum cedens frequentioribus inflammationibus, non solum rheumaticae aut catarrhosae indolis, sed potius vere phlegmonosis, inprimis organorum respirationis (Pneumoniis) *). En exemplum:

Sodalis lignarius, Pragensis, 23 annorum, semper sanus fuit, excepta qua ante tres annos laboravit pleuritide; die 18. Aprilis i. e. ante 4 dies, subito horrores ingruunt cum aestu alternantes, cephalaea, sitis aucta, dolor punctorius in latere thoracis dextro, cum tussi; nox insomnis. Die 19. et 20. Aprilis eadem scena sub diligenti sambucinorum usu. 21. Aprilis, morbi 4. ad nos delatus: cutis sudans, pulsus modice frequens, sat fortis, tensus, cephalaea frontalis pungens, vertigo, oculi lucem aegre ferentes, lingua muco albo obducta, humida, sapor amarus, inspirium profundum concessum, ast cum doloribus in latere dextro, augendis sub attactu, sputa sanguine striata, respiratio brevis abdominalis, abdomen liberum. Secuimus

*) Vide hist. morb. Nr. 14. Pleuropneumoniae.

venam ex brachio dextro ad uncias octo, praescribentes nitrum ad drachmam semis in mixtura quadam; decoctum Hordei cum oxymelle simpl. pro potu; catapl. emoll. pectori. Die altero, morbi 5. ex venaesectione levamen; crusta pleuritica ad lineam crassa, seri quantitas consueta; thorax dexter immobilis sub inspirio profundo, dolores pungentes sat fortes adhuc in latere dextro; tussis brevis, sicca; hinc repetita fuit sanguinis missio ad uncias octo, nitrum auctum ad drachmam. Eodem gradu, quo diebus subsequis, affectio pulmonum et pleurae inflammatoria sensim sensimque recedebat, dolores punctorii imminuebantur, et respiratio liberior fiebat, eodem quoque gradu affectio gastrica emergebat; hinc omissis cataplasmatibus et potu, restrinximus nitrum ad drachmam semis, quod serius cum Tart. tart. commutavimus. Crisis vero, nec per sputa nec per urinas obtinebatur; fracta potius inflammatio per venaesectiones. Sanum dimisimus 5. Maji morbi 18$^{vo.}$, tract. 15$^{to.}$

Hepatitides minori copia observandae ac mense praegresso. — Inter exanthemata sporadice solum observabantur variolae et scarlatina. — Cachexiae consuetae; eminebant vero phthises et scorbuti cito decurrentes, cujus exemplum hic offero:

Textorum sodalis 38. annos natus, individuum magnum, cum physionomia vitae male peractae teste, in ergastulo per menses inclusus, ante 6 hebdomades incepit debilior fieri; facies cachectica, oculi in orbitam retracti, halitus foetens, gingivae tumidulae, a

dentibus spurcis retractae; in tota cute, praecipue illa pedum, maculae magnae livescentes, nulla vero rigiditas. Haec symptomata, cum eclasset, de die in diem aucta sunt, ut in nosocomium transferri debuisset; 19. April. ad nos defertur, cum ingenti virium prostratione vitae finem minitante. Adhibuimus statim Chinam cum liquore Hoffmanni pro medicamine, decoctum Malthi cum acido sulf. dil. pro potu, acidum pyro-lignosum dilutum pro lotionibus, serius quoque interne; praeterea cerevisiam, brassicam fermentatam, et poma citrina dissecta cum sacharo in ore tenenda pro diaeta, serius cum debilitas majora rapide caperet incrementa, ad Camphoram confugimus. Tamen 7. Maji mortuus, 19 die tractaminis. — Adduximus ideo scorbuti hujus exemplar, ut illud assertum comprobemus; scilicet scorbutos (hoc mense frequentiores) cito saepe in malam partem verti. — Eminebat in hoc casu, prae humorum resolutione summa debilitas partim ex vita priori luride gesta, partim ex animo ad summum depresso, derivanda.

Sub fine mensis frequentiores tamen obstructiones viscerum abdominalium et hydropes, qua mala febrium intermittentium consecutiva. — Neuroses paucae.

Decursus morborum in genere multo celerior hoc mense, quam praegresso, magis adhuc sub mense jam declinante. Crises manifestae licet rarae adhuc, tamen frequentiores ac mensibus elapsis. Genera-

tim morbus acutus per lysin solvebatur *). Febres gastrico-biliosae aegros sat valide aggrediebantur cum cephalaea vehementi et congestionibus ad encephalon haud exiguis. Magnam ab initio affinitatem cum observata mense elapso pleuritide biliosa manifestarunt, si rheuma abstraxeris inflammatorium. Lingua enim flavescens, crasso obducta muco, sapor amarus, vomitus frequens materici lacte viridis, rarius ceterum tenacis, potius fluidioris, oppressio pectoris frequens et epigastrium sub attactu dolens hos casus distinguebant. Exemplum nobis praebuit:

Operarius, 18. annorum, morbis gravioribus sat saepe et nuper dira cholera epid. tentatus, ab hoc tempore valetudinarius, ad finem Martii refrigerio, post commissum errorem diaeteticum expositus, alternatim horruit, dein caluit. His accessere pectoris cum tussicula sicca oppressio, ictus pleuritici, noctes insomnes, serus sapor deperditus, oris et linguae flavescentis amarities; alvus diarrhoica ruebat ex assumto purgante; 30. Martii, quo ad nos venit, pulsus erat celer, parvus, abdomen expansum circa hypochondrium dextrum dolens, situs in latus sinistrum vix concessus, vomitus biliosus, in ceteris nulla mutatio; cum illa sumeret, quae bilem attenuarent et decomponerent, ac alvum modice fluidam redderent, externe vero emollientia cataplasmata adhiberet; mor-

*) Vide Historiam morbi Nr. 14. Pleuroperipneumoniae.

bus lente solvebatur, sine crisi manifesta, redeuntibus ultimo haemorrhoidibus.

Aliud exemplum nobis obtulit nutrix 25 annorum, hucusque sana, quae silentibus ante 8 dies, dum uterus purgaretur, subito menstruis, male afficitur; ingruunt dolores pungentes in abdomine et thorace dextro, externi, superficiales, vagi, cum tussicula sicca, frigora cum caloribus alternantia, exacerbationes vespertinae; noctes insomnes; morbus augetur. Die 9. Aprilis, quo ad nos venit, rediens mensium fluxus mox dissipatur; febris erat modica; cephalaea frontalis, vertigo, susurrus aurium, oculi suffusi, nares siccae; lingua muco flavo tecta, sapor amarus, sitis parum excedens; hypochondrium dextrum sub attactu dolens; alvus segnis. Morbus hic quamvis gravioribus incedens symptomatibus, abacta mox febri, citius quam speravimus, debellatus est, post 8 dies tractaminis, per medicamina antibiliosa solventia eccoprotica in cutem leniter agentia, et cataplasmatibus emollientibus in usum vocatis, regioni hypochondriacae dextrae impositis.

Crisis, praemisso medicamine solvente facilius contigit per vomitum quam per alvum. Plures observavimus casus, in quibus potu tepidulo affatim sumto, vomitus sponte enascens criticus, morbum brevi exstinxit. Si in decursu morbi turgescentia sursum defuerit, methodus evacuans per alvum optime conduxit; disposito tamen, per praemissa medicamina solventia, ad has evacuationes organismo. Id ve-

ro singulare observavimus, quod et elapso mense videre licuit, sales medios justo minorem exercuisse efficaciam, ita ut longe plurimis in casibus ad Sennam nobis fuisset confugiendum. Nec defuere, in quibus milliaria critica observata sunt aut similes furunculi. Epistaxes largae, sanguinem spissiorem evacuantes, criticae vel saltem levantes saepius observatae.

Febrium nervosarum memoratu haud indignus fuit decursus. Apertae ad superiora congestiones regnaverunt, cum fluctuante semper inter activum statum et passivum schemate, adnexis ut plurimum symptomatibus gastrico - biliosis. Epistaxes non rarae, alvus vero generatim mox ad diarrhoeam prona, mox pertinaciter clausa et per eccoprotica solvenda. Quibus optime conduxit cum solvente eccoprotica, methodus et alterans, uti infusum Ipecacuanhae, cum extracto Graminis, Taraxaci, aut pulpa Tamarindorum, et salium neutrorum dosis cauta. Nocuit mere stimulans. Exemplo sit sequens historia morbi:

Serva annorum 22, semper sana, florente utero, diarrhoea corripitur, quam intempestivo cremati potu et laborum consuetorum continuatione multum auget, tandem post 14 dies, 5. Aprilis ad nosocomium accedit. Cum alvus large rueret biliosa, lingua vero latice flavescente amaro obducta prae siccitate rigesceret, tentato simul encephalo, et dolente abdomine tumidulo, Ipecacuanham exhibuimus refr.

dosi in dto. emoll. cum syrupo diacodii exhibendo; simul radicis Salep decoctum pro potu; nuchae sinapismum, abdomini cataplasma imposuimus emolliens. Liberato inde encephalo et pulsus majorem acquirebat tenorem; remansit tamen aurium murmuratio, et baryecoja, lingua sicca praerubra et cutis externa arida, rubentis faciei turgor; et alvus immoderatior viribus ruinam minans. Exhibita Ipecacuanhae radice in substantia, praeter pulverem Doveri, biliosa multa ore rejicit, sudoribus ubertim cum levamine extricatis; quae dein scena cum euphoria repetebatur. Cum tamen post dies aliquot dejectiones iterum crebriores redirent, nec Ipecacuanhae refr. dosi cederent secessus frequentiores, ad decoctum radicum Colombo et Salep cum sale amoniaco confugimus, per sopientia simul clysmata hostem debellando; unde alvus quidquam castigata, rarius excedens, imo mox naturali segnior reddita, perstante adhuc aurium susurru, vertigine, baryecoja, pulsu concitato, et vomitu hinc inde rediente; quae omnia tandem sensim profligata sunt; ultimo habuit dtum. Taraxaci c. sale amaro, et serius dtum. Lichenis; tandem post mensem sanam dimisimus.

Febres intermittentes sub initio mensis haud pertinaces, stricto regimine et diaeta, solventibus solum alterantibus et purgantibus dissipandae et post paroxysmos tres vel quinque finientes; pertinaciores mense excurrente corticem non raro exposcebant. En exemplum:

Serva 25 annorum ex causa non satis cognita in morbum abrepta, 26. Martii ad nosocomium deferebatur. Ex sex diebus delassantur membra, accedit dedolatio, inquietudo, noctes insomnes, sequitur vomitus viridicantis materiei amarissimae et alvus numerosa cum torminibus, tinniunt aures et murmurant. Cum ad nos veniret, quaerebatur capitis gravedinem, saporem limosum, hypochondrii sinistri dolorem; abdomen ceterum molle fuit, rudem admittens tractationem; febris fere nulla; aspectus tamen aegrae diu jam aegrotantis. Liberato quod valde tentatum fuit per sinapismos encephalo, emolientissima, solventia adhibuimus, alvum serius clausam per salem neutrum aperientes; et jam mitescebat malum, ut subito post 8 dies tractaminis 2do. Aprilis frigus vehemens cum subsequo ingruit calore; sudor nullus; 4to. Aprilis, eadem hora, admonitio quaedam paroxysmi; 6to. Aprilis nihil; 7mo. Aprilis paroxysmus qui heri vesperi comparere debuisset, intravit 3 hora versus Auroram; postposuit igitur; os amarum, alvus clausa, lien liberum, die 9no. vesperi paroxysmus vehemens. Ob irregularem decursum confugimus ad corticem in substantia, quem cum elaeosacharo foeniculi ad scrupulum semis pro dosi omni trihorio exhibuimus, et sine ullis aliis molestiis tacuere paroxysmi.

Inflammationes sub fine mensis vehementiores, frequentius venaesectiones iteratas efflagitavere. Imo in ipsis febribus catarrhosis ob congestiones ad organa

respiratoria, clandestinam minitantes cladem, vena secta, si non medelam, levamen tamen certe attulit. Transitus enim in phthisin ex tali febri valde facilis patebat. Exstincto in his inflammationibus charactere phlogistico, methodus plerumque antigastrica indicata fuit et antibiliosa. In cachexiis, phthisicorum et hydropicorum, hoc mense clades ingens. Cholera orientalis hoc mense quidquam frequentior (18) ac praegresso, majori respondens ceterorum aegrorum numero; ejus decursus minus rapidus; sanabatur plus quam dimidia eorum pars. Respiciendo quantitatem aegrorum hujus mensis, ad nosocomium relatam, sequentia resultant:

1mo. Aegrotantium summa hoc mense multum decrevit, perstante tamen eadem adhuc mortuorum copia, ita ut mortalitas hoc mense relative major esset.

2do. Exiguus relatus ad mensem elapsum, dimissorum numerus, morborum chronicorum simul prae acutis indigitat dominium.

3tio. Aegrotantium quantitas a mensis initio versus finem (ubi tamen nova cepit incrementa) imminuebatur; mortuorum vero numerus ab exordio versus finem increvit.

4to. Comparatus cum quantitate ejusdem mensis, anni 1831 aegrorum praesens numerus multo minor patet, quamvis mortuorum copia tunc temporis tanta non esset.

En schema aliquod pro conspectu faciliori:

Aprili 1832 (30 dier.).	Intrarunt:	1836	Mense praegresso (31 dierum).	2059	Mense Aprili 1831 (30 dierum).	2470
	Dimittebantur:	1403		1767		2192
	Mortui sunt:	277		273		351

Calculus specialis mensis Aprilis 1832.

In prima hebdomade intrabant:	474;	dimitteb.:	432;	mortui sunt:		58.
— secunda —	— 415;	—	412;	—	—	60.
— tertia —	— 394;	—	479;	—	—	70.
ultimis 9 diebus	— 553;	—	480;	—	—	83.
Summa totalis	1836;	—	1403;	—	—	277.

Media proportionalis pro quolibet die.

In prima hebdomade intrabant:	67;	dimitteb.:	64;	mortui sunt:		8
— secunda —	— 59;	—	59;	—	—	9.
— tertia —	— 56;	—	68;	—	—	10.
— ultimis 9 diebus	— 61 (62);	—	53;	—	—	9.
Media proport. pro toto mense	61;	—	47;	—	—	9.

Maximus aegrorum numerus: 93 intravit die 3.

Minimus — — 43; — — 15.

Maximus mortuorum — 14; fuit — 16.

Minimus — — 6; — — 6.

Caput VII.

Majus.

Inchoavit Majus cum calida (usque ad + 20° R. evecta) serena et amoena tempestate, aestuosa tamen, atque siccissima, a 1. usque ad 8. hujus mensis durante, quo die critica tempestas cum fulmine et tonitru ingruebat, quam pluvia larga breviter durans excepit, multum allevans; quae scena dein in conspicuum totius naturae levamen et altero die (9) repetebatur.

9—19 flantibus continuo fere ventis borealibus ad occidentales vergentibus inserena regnavit tempestas frigidaque, ut thermometrum circa + 6° R. saepius fluctuaret, praecipue de nocte et versus Auroram, pluviis ceteroquin non raris saepius interrupta.


19 — 22. Cum mutato vento priore in Austrum ad Eurum vergentem, tempestas quoque serenior, calidior inducta, brevi tamen durans.

22 — 29. Tempestas pluviosa, inamoena, variabilis, sub vento iterum Circio, frigidiusculo; dies raro serenae autumnales.

29—31. Ventus Argestes in Vulturnum mutatus; calor magnus, amoenissima tempestas, et serena.

Barometrum reduct. ad 0° R. Thermometrum Reaumüri.

Majus.



In genere variabilis fuit Majus, autumnalis potius, si initium et finem excipias; organis spirantibus multum infestus. Hoc mense fuere

		Thermometri.				Barometri.			
Altitudo maxima grad.	+	24.	0.	die 2.	poll. 28.	7.	5.	die 5.
— minima —	+	5.	2.	— 12.	„ 27.	10.	3.	— 2.
— media —	+	11.	46.		„ 28.	3.	1.	
Vicissitudo maxima intra nycthermerum		10.	4.		„ 0.	4.	6.	
		(die 2.)			(a die 4—5.)			

Inter ventos fere solus Circius, hinc inde sed raro Vulturnus vel Africus; procella die 2 ex occidente; tempestas cum fulmine et tonitru fuit die 7 et 8 post meridiem.

Pluviae cadebant 18 diebus.

Lunae phases: 7. ☽; 14. ☺; 22. ☾; 30. ●.

Qui exeunte mense praegresso regnabat character morborum subinflammatorius, simulque rheumatico-gastricus, eam hoc mense mutationem subivit, ut charactere inflammatorio quoad intensitatem paullatim imminuto, quoad extensionem autem aucto gastricus magis caput extolleret, rheumatico sensim sensimque recedente. Congestiones ad superiora ejusdem tenoris ac mense praegresso, imo initio mensis quidquam auctae per frequentiores tum temporis apoplexias, cephalaeas, anginas, laryngitides etc. se manifestantes. — Ex febribus gastricae per totum mensem admodum frequentes, ita ut nota gastrica etiam longe plurimis morbis qua character lateralis impressa esset; summam vero attentionem meretur quantitas febrium intermittentium typi tertiani per

totum mensem aequali progressione ita increscens, ut altero Maji dimidio fere secundus quisque in divisiones medicas receptus aeger intermittente laboraret febri; imo typus iste fere omnibus febribus cujuscunque characteris se associavit; nec rarae intermittentes larvatae, sub schemate pneumoniae, pleuritidis, cephalaeae. Hoc in intermittentium numero augmentum post tempus praecipue pluviosum videbatur, dimidio mense exortum. Harum febrium quantitas, si non major certe minor non fuit, ac anno elapso, quo epidemice grassabantur. Febres nervosae fluctuantes inter statum activum et passivum sat frequentes cum congestionibus ad superiora ut plurimum stipatae; plenaria characteris adynamici evolutio rarior; fons omnibus fere gastricus vel congestio sanguinis ad cerebrum; en exemplum:

Serva 24 annorum, hucusque sana, 1mo. Maji post assumtas carnes pingues, riguit, dein aestuavit, cum insigni virium prostratione, non appetit, fatua sapit; 7. Maji in nosocomium suscepta, linguam habuit puram sed siccam, abdomen expansum, tympani ad instar resonans; pulsum modice fortem, leviter tensum; color leviter flavescens faciem praesertim tingebat; exacerbatio vespertina vix ulla. Praemissis solventibus eccoproticis uti dto. Graminis cum Tart. tart. et pulpa prunorum, ac subministrato potu oxymellitico, vomitum exhibita radice Ipecacuanha movimus; difficulter vomuit parca amarissima, continuavimus tamen Ipecacuanham

refr. dosi cum solventibus nuptam; linimentum volatile ventri inungendo. Abdomen vero magis expansum, regio hepatis tumens dolensque, pulsus modice fortis, somnus fere continuus, caput autem vertiginosum cum tinnitu aurium, urinae profundius tinctae cum sedimento largo, alvus clausa; quae scena in diem aucta nobis hirudinum ad regionem hepatis cum cataplasmatibus emollientibus adplicationem dictavit; cui plagae dein unguentum simplex cum cinereo inunximus. Regio hypochondriaca dextra inde mollior liberior, magis tractabilis, caput minus affectum, cutis mollis, pulsus magis vigens. Exhibito primo decocto Taraxaci cum inf. Rhei. chinensis, serius dto. Cichorei, vires, quamvis lente, recurrebant, et functionum harmonia fuit sine ulla crisi restituta.

Febres catarrhosae ac rheumaticae non frequentiores, ac character vernalis exposcit. — Numerus inflammationum major, ac mense praegresso; phlegmonosae tamen rariores ac exeunte Aprili; rheumaticae et catarrhosae frequentiores; ex his eminebant pneumoniae, medio mense frequentiores, indolis magis rheumaticae et catarrhosae, et plerumque notae levioris. Pleuritides et peritonitides non crebriores ac mense elapso; frequentiores fuere hepatitides. — Ex exanthematibus variolae, varicellae et scarlatina magis floruere. — Cachexiarum numerus moderatus, inter quas scorbutus post primum mensis quadrantem et intensitate et extensitate vehementior;

hydropes, praesertim oedemata extremitatum inferiorum, qua sequelae febrium intermittentium crebriores *). Phthisium numerus non excedens, anomalia menstruorum frequentior, vix non semper cum clandestina pulmonum labe incedens, vel saltem cum congestionibus ad hocce organon.

Decursus morborum vix alius ac mense praegresso, lentior quidem ac annis elapsis, ast brevior tamen quam mensibus praegressis et acutior cum majori jam ad crisin nisu per urinas et sudores. In febribus gastricis vomitus non raro biliosus, licet vix criticus; hinc et emeticorum usus restrictus. Morbo ut consuetim diutius protracto turgescentia deorsum per solventia, et eccoprotica salina adjuvanda erat; hinc largus iste solventium et salium neutrorum usus, fere in omni febri gastrica salutaris; epistaxes frequentes cum magno congestionum ad caput levamine, reconvalescentia tarda; dyspepsia per longius tempus remanens; hinc amaricantium usus febri superata frequens. Febres intermittentes, quamvis fere semper chinacea exposcentes, primo mensis dimidio facile tamen exstinguendae; exeunte vero Majo pertinaciores, sulphati chininae etsi sat larga dosi et caute tamen exhibito non semper cedentes (observabatur in scorbutico febris intermittens sub ipso Corticis sedulo usu evoluta). Typus tertianus ubique et anticipans; infarctus lienis subinflammatorius saepe, jam post secun-

*) Vide historiam morbi Nr. 19. Scarlatinae anomalae mala posthuma pertractantem.

dum aut tertium paroxysmum manifestus; character lateralis gastricus vix unquam defuit. In febribus nervosis ob congestiones ad superiora stimulantium usus cautus, vel nullus; profuerunt potius solventia cum eccoproticis, et inprimis alterantia; hinc frequens Ipecacuanhae et Tart. emet. usus, nec rari fuere casus, in quibus hirudines retro aures vel ad tempora vel exigua venaesectio cum optimo fructu adhibebatur; ulcera in intestinis rariora; febrium catarrhosarum decursus ob clandestinas ad pulmones congestiones subdolus. — Inflammationes mitiores, therapiae leni antiphlogisticae fere semper cedentes. — Ex cachexiis phthisicorum mors frequens; scorbuti cita evolutio, tarda sanatio.

Cholera majora hoc mense incrementa cepit, ut plus quam 50 aegri hoc morbo affecti mense Majo in nosocomium mitterentur.

Respiciendo quantitatem aegrorum sequentia resultant:

1mo. Quod aegrorum in nosocomio hoc mense numerus maxima sumserit incrementa, ut illum mensis elapsi longe superaverit; id quod cholerae epidemicae hoc mense denuo erumpenti et febrium intermittentium epidemiae, inprimis adscribendum esse putamus; idem quoque valet de mortuis.

2do. Aegrorum et mortuorum hoc mense per singulas hebdomades distributio aequalis non fuit, ut potius ineunte et exeunte mense increscceret ac-

grorum quantitas, dum in medio mensis imminuta esset.

3tio. Ad annum vero 1831 et eundem mensem, quo quidem cholera adhuc nulla sed epidemia febrium intermittentium simul et catarrhosarum (influenza) apud nos regnavit, relatum sequens schema minorem exhibet quam tum temporis aegrorum copiam, sed majorem mortuorum numerum.

	Majo anni 1832 (31. dierum).	Mense praegresso (30. dierum).	Majo anni 1831 (31. dierum).
Intrarunt:	2254	1836	2457
Dimittebantur:	1797	1403	2219
Mortui sunt:	333	277	298

Calculus specialis mensis Maji anni 1832.

	intrarunt	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade	500;	357;	64.
— secunda	529;	375;	83.
— tertia	463;	451;	76.
— ultimis 10 diebus	762;	614;	111.
Summa totalis	2254;	1797;	333.

Media proportionalis pro quolibet die.

	intrarunt	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade	71;	51;	9.
— secunda	75;	55;	11 (12).
— tertia	66;	64;	10 (11).
— ultimis 10 diebus	101;	87 (88);	15 (16).
Media proportionalis pro toto mense.	73;	58;	11.


Maximus aegrorum numerus: 103; intravit die 1mo.
Minimus — — 40; — — 20mo.
Maximus mortuorum — 17; fuit — 8vo.
Minimus — — 3; — — 19no.

Caput VIII.

Junius.

1 — 8. Quae ad finem mensis praegressi regnavit tempestas serena, calida, aestuosa, continuavit quoque ineunte mense Junio, ita ut thermometrum his et proximis quoque diebus circa + 18° et + 23° R. versaretur. Aër amoenus, aestuosus, recreans; ex ventis vel Euronotus vel Circius modice flantes; barometri vero status depressus multum fuit, intra $27'' \, 11''' \, 0''''$ — $28'' \, 3''' \, 0''''$ fluctuans; noctes ut plurimum serenae, vel calidae vel subfrigidae; duravit haec scena usque ad 8. Junii, quo die nova incepit tempestas. 8 — 13 Pluviae scilicet largae cadebant cum magno levamine, mutato subito qui antea flabat Euronoto in Circium; ast die 10 et 13 vera dein critica tempestas sequebatur: fortissimae scilicet explosiones electricae cum pluvia larga concomitatae, perstante eadem barometri depressione. 14 — 30. series raro interrupta dierum inserenorum; continuae pluviae; venti fere nulli nisi Circius et Favonius, asperi, frigidi, fortiter flantes; barometri status humilis; intra $28'' \, 0''' \, 0''''$ et $28'' \, 3''' \, 0''''$ fere continuo fluctuans; temperatura adeo depressa, ut thermometrum semper

Barometrum reduct. ad 0° R. Thermometrum Reaumiri.



fere circa + 10.0 et + 16.0 R. fluctuaret; tempestas variabilis, modo frigida, modo calida, modo sicca, modo humida, modo serena, modo inserena, noctes frigidae. In genere Junius fuit tristissimus, summe variabilis, humidus, frigidus, ventosus, autumno similior, ac aestati, excepto illius exordio.

	Thermometri.	Barometri.
Altitudo maxima grad.	+ 23. 2; die 8.	poll. 28. 5. 1. die 30.
— minima —	— 9. 2; — 18.	— 27. 10. 11. — 4.
— media —	— 10. 26;	— 28. 2. 4.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	11. 5; (die 8.)	— 0. 1. 6. (die 12 — 13.)

Ex ventis ab initio usque ad 8 Vulturnus fere continuo et modice flabat; ab 8 fere usque ad finem mensis non interrupta serie Circius fremebat vel Occidentalis ingratus, asper, frigidus.

Tempestates cum tonitru et fulmine et magna electrici explosione fuere duae hoc mense sat vehementes die 10. hora secunda post meridiem, et die 13. a hora 11 — 1 de nocte.

Pluviae cadebant 19 diebus.

Lunae phases: ☽ 5. ○ 13. ☾ 21. ● 28.

Epidemicus morborum genius, quem mense elapso regnantem vidimus, gastrico-rheumaticus, cum apertis ad superiora congestionibus et hoc mense continuavit, ea solum cum differentia, ut character rheumaticus sub potiori gastrici dominio multum recesserit, character vero subinflammatorius, qui mense Majo decrescere jam inchoavit, magis adhuc imminui pergeret. Quod luce clarius factum per ipsius chole-

rae ulteriora hoc mense incrementa; facto enim morbi hujus epidemici impetu, indoles phlegmonosa fere penitus in nosocomio evanuit; rheumatica imminuebatur, gastrica vero late grassabatur, imo et ipsi epidemiae nota gastrica profunde erat impressa. Ultimis solum hujus mensis diebus, cholerae vi quodammodo imminuta, et perstante tempestate praeter normam frigidiuscula et humida, inflammationes, licet rheumaticae praesertim indolis, crebriores quidquam observatae. Altero mensis dimidio character lateralis biliosus magis magisque evolvebatur.

Singulos si accurate consideramus morbos, sequentia in specie notanda nobis veniunt: Febres gastricae ut ineunte aestate consuetim; biliosae vero prae saburralibus occurrebant, imo et affectiones gastricae sine omni febri haud rarae, et per longius tempus nonnumquam durantes. Intermittentes tertianae non quidem eodem numero intrabant ac mense elapso nosocomium, maximum tamen in diversis divisionibus susceptorum numerum formabant, typus vero non tam firmis adstrictus legibus, licet tertianus oculum observantem non lateret. Nam non solum multae observabantur intermittentes tertianae, sed et ipsi paroxysmi sine ordine stricto se excipiebant, mox per unum alterumve silentes, mox iterum die alio, secus apyretico, in conspectum venientes. Et aliis morbis febrilibus, cujuscumque fuerint characteris lateralis, typus aliquis subcontinuus se associavit. Febres nervosae rariores. Status activum inter et adynamicum fluc-

tuans cum congestionibus ad caput nonnunquam se obtulit. — Inflammationes rarae; ultimis solum diebus, ut supra memoratum, crebriores. Phlogoses merae nullae, hinc et pneumoniarum numerus minor, inflammationes vero rheumaticae majori numeró observandae, uti pleuritides, peritonitides, prae ceteris vero arthritides acutae. Nec pleuritides biliosae, prioribus mensibus jam rariores, nunc defuere, mense praesertim exeunte. Hepatitides leviores non rarae, cum pneumonia ac pleuritide simul incedentes *). Mense ad finem vergente et cholera quidquam recedente, colicarum inflammatoriarum numerus praeter normam increvit, nec non dysenteriae sparsim observatae. — Ex exanthematibus, ultimis septimanis scarlatina frequenter occurrebat, ita ut initium epidemiae scarlatinosae inchoasse videretur. — Cachexiae consuetae. Neuroses non frequentiores. Diarrhoeae pari cum cholera passu incedebant. — Ipse tandem hic morbus epidemicus jam ultimis Maji septimanis caput suum magis extollens, continua eaque rapida cepit incrementa, ut quantitas eorum hoc mense in nosocomium adlatorum 239 aequaret. (Erant praeterea tria nosocomia separata pro his aegris instituta).

Quoad morborum hoc mense observatum decursum sequentia notatu digna erant: In febribus gastricis turgescentia deorsum praevaluit prae turgescentia sursum; hinc et solventium usus frequentior ac eme-

---

*) Vide hist. morbi Nr. 22: Pneumoniae cum hepatitide.

ticorum. Transitus febris biliosae in intermittentem non raro observatus. In intermittentibus methodus antibiliosa solvens non raro opem tulit. Tartarus emeticus praesertim cum fructu in usum trahebatur. Nec defuere casus pertinaciores vix Sulfati Chininae cedentes et ipsum corticis usum strenue efflagitantes. Id autem ubique observatum, post unum alterumve paroxismum lien statim tumere. Sub ipso paroxismo frequentes ad caput congestiones. Inflammationes exposcebant depletiones universales magis exeunte mense, quam ineunte. In rheumaticis inflammationibus hirudines et ceteris paribus cataplasmata cum therapia justa interna juncta votis respondebant. Arthritides acutae chronicum amabant decursum, ceterum et intensitate insignes. Crises, uti per totam mensium praegressorum seriem, rarae, insufficientes; urinae hypostaticae uno die, altero iterum crudae, diaphoresis larga sine aperto morbi decremento. Natura fere inerti, lenta praevaluit morbi solutio. Acutioris igitur, quam mense praegresso, decursus vestigia nulla. Scarlatinae decursus regularis consuetim, licet non defuere anomala eruptio, desquamatio tarda et insufficiens, imo malignus sub ipsa eruptione exitus. En exemplum:

Sodalis aurifex, juvenis 22 annos natus, robustus, vegetus, semper sanus; 5. Junii, ut ait refrigerium cepit, 6. Junii horripilationes cum aestu superveniunt, dolentibus faucibus; 7. Junii octies vomuit et dejecit ex medicamine a quodam chyrurgo ipsi porrecto; 8. Junii ad nos delatus, praeter modi-

cam febrem, et exiguam tonsillarum inflammationem, exhibuit cutis in pectore ruborem maculosum, pallidum inaequalem, linguam muco flavo obductam. De evolvenda scarlatina cogitantes exhibuimus dtum. emolliens diapnoicum, collum simul cataplasmate emolliente foventes; die subsequo, 9. Junii, febris admodum modica cum angina faucium imminuta et earum rubore pallescente, quaedam nobis circa diagnosim statutam dubia injecerunt; cum tamen bene valeret, continuavimus in iisdem; nox insomnis; die altero, 10. Junii; caput liberum, lingua humida praerubra, biliosa; tonsillae magis tumentes et rubentes, sat fortiter dolebant; rubor in pectore parum et inaequabiliter, in pedibus laete florens; vomitus et alvus biliosa secuta; vesperi epistaxis largissima, nox inquieta delirando transacta; hinc sinapismi duo brachiis adposita. Subsequa nunc Aurora aegri morbique faciem penitus alienatam obtulit; caput rubens, turgens, calens, oculi suffusi, adnatae vascula injecta, ipsi bulbi fixi, pupilla dilatata, apex nasus pallore inamoeno notatus, lingua praerubra, humida, vix porrigenda, os semiclausum, facici totiusque corporis musculi rigescentes, exanthema in extremitatibus profunde rubens, in ceteris partibus inaequabiliter pallens, pulsus modice frequens, fortis, suppressus, non evolutus, ad speciem debilis. Misimus sanguinem ad uncias decem, qui magna cum vi proruppit, ita ut haud exiguam chyrurgus operam brachio ligando impendere deberet; praeterea sinapismos primo suris

dein crurum faciei internae applicavimus, exhibendo simul detum. Graminis cum aceto vini optimo et sacharo. Post horam lapidea corporis rigiditas in summam transivit jactitationem, ut lecto firme alligandus esset; congestiones ad encephalon auctae; deliria ferocia; hinc praeter sinapismos, hirudines octo pone aures adposuimus, cum largo stillicidio; ad meridiem quietior, pulsus minor, facies pallens, exanthema minus rubens. Vesicans nuchae adpositum, et solutio ex granis Tartari emetici sex ad uncias sex aquae destillatae nullum effectum exseruit; tandem de nocte hora decima sub convulsionibus obiit. Sectio cadaveris, quae 36 horas post obitum aegri instituebatur, praeter vasa meningum praecipue durae matris, ad extrema usque injecta, massam cerebri molliorem, ruborem circa fauces intensum atque late extensum, clara ubique exhibuit resolutionis et incipientis putredinis vestigia; nec pauca erant signa illis analoga, quae cadavera cholera epidemica nunc grassante defunctorum, offerunt.

Qui hoc mense eminebat, character morborum gastrico-rheumaticus, cum manifestis ad encephalon congestionibus, etiam in hoc casu dominium tenuit, et probavit illud assertum Ill. *Francisci ab Hildenbrand*, quod in annalibus scholae clinicae Ticinensis parte 2da. pag. 260 sic exprimit: „Illa atmosphaerae conditio, quae rheumaticis obsecundat morbis, majorem in cunctis membranis sciferis fovet ad morbosas reactiones nisum, quibus alioquin scar-

latinosa febris infesta esse consuevit. Qua de re scarlatinae casus semper majori terrent periculo, dum rheumatica viget morborum constitutio etc.“ nec non illud ejusdem versatissimi auctoris effatum hic injusto loco adlatum credimus; dicit enim in eodem loco citato pag. 259: „Scarlatina inter cunctas febres exanthematico-contagiosas vix non maximum in subdolas et improvisas anomalias nisum ostendit, unde diagnosis aeque ac therapia gravibus saepe numero implicatur difficultatibus.“

Cachexiarum decursus, uti mense elapso. — Cholera primis mensis hebdomadibus rapidissime decurrebat, cum exitu vix non semper lethali. Causa fere in omnibus error diaeteticus, si id pro errore diaetetico habere vis, quod alio tempore vix levem gignere valuit affectionem gastricam. Initium cum diarrhoea, quam mox vomitus et reliqua symptomata excipiebant. Mense declinante vero diarrhoea cholerica per plures dies praegressa haud raro observabatur. Spasmi frequentes, color caeruleus vero non tam intensus, praesertim exeunte mense. Lingua vix non semper muco albo flavicante obducta. Vomitus decrescente morbo haud raro biliosus, minime vero omni in casu faustum sistens praesagium. Congestiones ad caput admodum vehementes multo majori in gradu, ac anno elapso, et aegro Orci faucibus vix erepto denuo insidias non raro lethales struebant. Ultima mensis septimana, superata jam cholera, affectio subinflammatoria ventriculi et intestinorum saepius trac-

tanda nobis venit. Ipsa purpura cholerica (exanthema urticatum) ultima septimana frequens. Hydropica vero collectio qua malum posthumum rarius observatum, ac anno elapso. Reconvalescentia tarda, cum symptomatibus gastricis vix non semper incedens. Notandum adhuc, quod endemica fere in suburbiis imo domiciliis singulis observaretur hoc mense cholera, ita ut nonnullis ex familia quadam morbo epidemico mortuis, saepe reliquos raperet sors iniqua.

En exemplum cholerae gastricae non epidemicae qualis hoc mense non raro visa fuit. Sartor sodalis, Paduanus 21 annos natus, hucusque sanus, ob rerum domesticarum inopiam frigidis assuetus cibis; cum ad cognatos rediens, lautiorem ibi summeret victum calidum, male tulit; 11. Junii enim post factum errorem diaeteticum subito diarrhoea corripitur aquosa, sine doloribus fere 30$^{ies.}$, quam vesperi vomitus excipit 8$^{ies.}$ aquosus, nox insomnis transacta ob alvum nimis frequentem, et dolores spasticos in pede sinistro, sitis magna, virium prostratio excedens; die altero, quo alvus 10 vomitus vero solum 2 secutus fuerat ad nos venit: calor quidquam infra normalem; extremitates inferiores subfrigidae pulsus debiles parum citati, cephalaea, oculorum ardor et erga lucem sensilitas, lingua frigescens muco flavo obducta; ictus cordis solito vehementiores; epigastrium dolens sub pressione; ceterum abdomen insensile; respiratio libera; ex aqua glaciali diligen-

ter hausta et sinapismo gastricae regioni imposito, vomitus cum multo levamine 8 adhuc insequebatur, alvus 5 unde plura acidula aquosa ejecit. Reliquam curam Ipecacuanha refracta dosi et acidum tartricum claudebant; post paucos dies sanitati restitutus, nosocomium deseruit; nobisque exemplum obtulit, cholerae non orientalis, sed gastricae, cui tamen constitutionis epidemicae signa indubitata adhaerebant.

Casum similem priori, offerebat centurio 36 annos natus, sanus semper, qui 23. Aprilis eodem circiter tempore, quo in nostra urbe cholera epidemica 2da. vice saevire incepit, subito diarrhoea corripitur et vomitu aquosis saepe se excipientibus; quin hirudines et cataplasmata epigastrio adplicata levamen quoddam attulissent; die altero ad nos delatus spurcam offert linguam, saporem vitiatum, epigastrium dolorificum sub pressione; excretionum abundantiam ut heri; hinc ad antisaburralia, solventia, acidula transgressi, unde jam die subsequo excretiones moderatae, et post aliquot dies sanus dimittebatur, nullis malis posthumis serius vexatus.

Ex calculo sequenti elucet:

1mo. Aegrorum quantitatem hoc mense decrevisse, mortalitatem vero jam ex mensibus praegressis continuo successive incrementa sumsisse.

2do. Quod aegrorum quantitas, eodem mense Junio anni praegressi, sine ulla comparatione major esset et ingens dicenda, ob regnantem illo mense epidemiam febrium intermittentium,

gastricarum, et gastrico-biliosarum in adynamiam nitentium; mortalitas tamen fere eadem ac hoc mense.

3tio. Quod aegrorum non minus ac mortuorum distributio per hebdomadas hoc mense aequabilis fuerit.

	Junio anni 1832 (30 dierum).	Majo anni 1832 (31 dierum).	Junio anni 1831 (30 dierum).
Intrarunt:	2112	2254	2540
Dimittebantur:	1878	1797	2311
Mortui sunt:	289	333	309

Calculus specialis mensis Junii anni 1832.

	intrarunt	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade	509;	473;	84.
— secunda —	— 498;	— 392;	— — 91.
— tertia —	— 508;	— 402;	— — 105.
— quarta —	— 597;	— 609;	— — 99.
Summa totalis	2112;	— 1878;	— — 289.

Media proportionalis pro quolibet die.

	intrar.	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade	72 (73);	67;	12.
— secunda —	— 71;	— 56;	— 13.
— tertia —	— 72;	— 57;	— 15.
— quarta —	— 85;	— 87;	— 14.
Media proport. pro toto mense	70 (71);	— 63 (62);	— 10 (9).

Maximus aegrorum numerus: 92; intravit die 13.
Minimus — — 49; — — 10. et 29.
Maximus mortuorum — 20; fuit — 13.
Minimus — — 5; — — 14. et 27.

Caput XI.


Julius.

Quae hoc mense regnavit tempestas, paucis diebus exceptis, pluviosa fuit, inserena, variabilis, aër non recreans, praecipue ab initio et versus finem mensis, ubi autumnalis potius dicenda. In specie vero Julius, tristis Junii dignus successor, a 1—8 continuas fere pluvias fundens, inserenus fuit atque frigidiusculus; ab 8—15 venti Circius et Lybs in Euronotum mutati intervallum breve lucidum induxerunt, in quo sub tempestate admodum serena calor ad insolitum gradum evolvebatur; ut thermometrum ad + 29.5 R. in umbra, et ad + 39.5 R. in directa solis luce ascenderet; barometrum tamen altiorem gradum non attingebat, sed per totum mensem intra 28. 3. 0. et 28. 4. 0. fluctuavit; a 15 usque ad finem mensis cum Argeste prior iterum recruduit tempestas ingrata, frigida ita, ut thermometrum ante + 24° R. nunc ad + 12°, imo ad + 8° R. quoque recederet.

	Thermometri.	Barometri.
Altitudo maxima grad.	+ 29. o. die 14.	poll. 28. 5. 6. die 14.
— minima —	+ 8. 5. — 28.	„ 28. 1. o. — 18.
— media —	+ 15. 86.	„ 28. 3. 2.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	10. o. (die 14.)	„ o. 3. 5. (a die 29—30.)

Barometrum reduct. ad 0° R. *Thermometrum Reaumiri.*

Julius.



Venti regnabant Circius et Zephyrus.

Pluviae cadebant 18 diebus.

Tempestates cum tonitru et fulmine quatuor nos terrebant.

Noctes a 1 — 20 circa serenae ut plurimum, frigidae; ad finem mensis vero inserenae, frigidissimae, pluviosae.

Phases lunae: ☽ 5; ☺ 13; ☾ 20; ● 27.

Regnavit hoc mense character morborum gastricus isque biliosus, rheumatico penitus silente et in ejus locum potius sensim sensimque caput extollente asthenico-nervoso. Levis adhuc inflammatoria nota, quae mense praegresso morbis acutis adhaerebat, penitus fere disparuit, ita ut inflammationum vix una alterave occurreret, decursus morborum ultra justum limitem tardus et naturae medicatricis vix ullum in crisi vestigium inveniendum esset. Et cholerae praeceps et funestum incrementum huic genio maligno adscribendum esse censeo. Congestiones ad interiora, encephalon praeprimis et pulmones uti per totum annum etiam nunc regnabant. En exemplum:

Netrix, 18 annos nata, plethorica, praeter orgasmum et congestiones ad superiora, quae apud eam mensium introitum praecedere solent, regulariter menstruata et hucusque sana, quosdam dies ante hujus periodi introitum, i. e. 11. Julii, leipothymia correpta subito concidit, ac leviter tussiens, dimidiam sanguinis crassi atri libram ore rejicit, quae scena denuo, cum febricitans et tussitans labores consuetos

adiret, post 4 dies repetebatur; hinc ad nosocomium delata fuit. Menstrua interim sine ullo levamine fluxere; hinc venaesectio ad unc. sex instituta, et altero die repetita est, cum febris et pectoris oppressio et pulsus subdurus, fortis, tensus eam dictarent; praeterea emulsa cum Nitro propinabantur. Post paucos dies pectus liberius factum; sputa puriformia imminuebantur, tussis cessavit, ut nonnisi medicamen quoddam solvens acidulum in usum vocandum esset; post 12 dies plenarie restituta, imo melius se habens ac ante hunc morbum, reliquit nosocomium.

Ex febribus primum hoc mense occupant locum gastrico-saburrales et biliosae. Vix unus reperiebatur morbus, cui non nota saltem gastrica adhaerebat. Febres intermittentes sub initio mensis adhuc sparsim occurrentes, mense declinante e serie morborum fere evanuerunt. Earum larvae non rarae. Vidimus hoc mense et alium casum febris intermittentis cum nisu in adynamiam, quem ob rariorem hoc anno apparitionem hic adducimus:

Puella 8 annorum post factum exeunte Junio errorem diaeteticum vomuit cum euphoria, altero vero die diarrhoea supervenit, quae per 14 dies non interrupta persistit, ad lectum tandem miserculam figens. Die 12. Julii ad nos veniens praeter febrim modicam cum symptomatibus gastricis, et hepatis ac lienis infarctibus nil peculiare exhibuit; nox tamen inquieta sub deliriis transacta; die altero mane 13. Julii febris fere nulla, lien vero ad duos digitos prae castis pro-

minebat; post meridiem exacerbatio luculenta; nox iterum inquietissima cum deliriis; die tract. tertio 14. Julii post meridiem iterum valida febris exasperatio; quare de febri intermittenti quotidiana cogitantes solventibus hucusque propinatis, salem amoniacum addidimus; 15. Julii eadem scena hinc 16. Julii mane, cum adynamiae symptomata eminerent, aegra soporose decumberet, non respondens ad interrogata, ad supprimendos febris intermittentis malignae paroxismos; sulfatis Chininae granum semis omni bihorio in auxilium vocavimus, simulque dtum. Chinae cum liquore Cornu Cervi succinato adjunximus. Ab hoc tempore paroxysmi citius terminabantur, lien detumuit, caput liberatum, noctes quieto somno transactae, appetitus bonus, ita ut 30. Julii sanam dimitteremus.

Rheumaticae febres et catarrhosae admodum rarae, nec non nervosae. — Inflammationum numerus exiguus, phlegmonosae nullae, et eae membranarum serosarum aut mucosarum parcae ac leves. Hepatitides rariores, ac secus hoc anni tempore; erysipelata hinc inde conspicua, magis tamen mense exeunte. Singularis saepissime observanda nobis veniebat affectio subinflammatoria intestinorum crassorum, modo cum alvo frequentiori mucosa et non raro sanguinea, modo cum illa obstipa et nisu ad vomitum incedens. — Exanthemata epidemica nulla; scarlatinae solum casus quidquam frequentiores. — Ex cachexiis phthises, scorbuti et hydropes excellebant. Diarrhoeae frequen-

tes, biliosae potissimum naturae, sat graves, modo cum modo sine vomitu, nunc cum nunc absque doloribus colicis, non raro in ipsam choleram transeuntes. — Neuroses rarae. — Cholera hoc mense majora cepit incrementa; numerus enim aegrorum hoc morbo laborantium, qui in nosocomium ferebantur, fere 300 attigit.

Quod morborum decursum attinet, gastricae febres nimis protractae erant, imo febri abacta symptomata gastrica saepe per longius tempus perduravere; in reconvalescentia diarrhoeae recidivae frequenter virium languorem diuturnum causarunt. Morbi per longius tempus durantes in hydropes facile transiere *). Congestiones frequentes, crisis nulla. Venaesectionum usus rarus deficiente fere penitus indole inflammatoria. Hirudinum ad caput adplicatio frequens. Uberrimus vero antigastricae, in specie antibiliosae methodo patebat campus; hinc Tartari emetici, Ipecacuanhae, salium neutrorum, dosi cauta tamen ob diarrhoeae metum, et acidulorum usus sat frequens. Cholerae imago hoc mense omnibus symptomatibus suis insignita fuit: spasmi, inquietudo, anxietas vehementiores fuerunt sub stadio primo, ac antea, et ipsum hoc stadium brevius durans; sub stadiis autem sequentibus eminebat sopor magis quam mensibus praegressis.

---

*) Vide historiam morbi Nr. 27; paralyseos cum cholera subsequa, in hydropem transeuntis.

Ex calculo mox adducendo elucet:

1mo. Quod aegrorum, inprimis autem mortuorum, hujus mensis grex illam Junii elapsi multum superaverit, id quod cholerae epidemicae ultro saevienti adscribi debet.

2do. Quod aegrorum et mortuorum copia per singulas hujus mensis hebdomades ab initio versus finem continuo increverit.

3tio. Quod Julius eundem mensem anni praegressi, ratione quantitatis aegrorum intrantium, et mortuorum multum superaverit.

	Julio anni 1832 (31. dierum).	Junio anni 1832 (30. dierum).	Julio anni 1831 (31. dierum).
Intrarunt :	2294	2112	2057
Dimittebantur :	1916	1878	1911
Mortui sunt :	385	289	241

Calculus specialis mensis Julii
anni 1832.


In prima hebdomade intrarunt :		491 ;	dimitteb.:	414 ;	mortui	sunt :	48.
— secunda	—	— 498 ;	—	457 ;	—	—	77.
— tertia	—	— 544 ;	—	412 ;	—	—	103.
— quarta	—	— 761 ;	—	633 ;	—	—	157.
Summa totalis :		2294 ;	—	1916 ;	—	—	385.

Media proportionalis pro quolibet die.

In prima hebdomade intrarunt :		70 ;	dimitteb.:	59 ;	mortui sunt :		7.
— secunda	—	— 71 ;	—	65 ;	—	—	11.
— tertia	—	— 78 ;	—	59 ;	—	—	15.
— quarta	—	— 76 ;	—	63 ;	—	—	16.
Generatim		— 74 ;	—	62 ;	—	—	12.

Maximus aegrorum numerus :	99 ;	intravit	die	17.
Minimus —	— 45 ;	—	—	8.
Maximus mortuorum	— 20 ;	fuit	—	22.
Minimus —	— 5 ;	—	—	6. et 9.

Thermometrum Reaumüri. Barometrum reduct. ad 0° R.



Augustus.

Caput X.

Augustus.

Quae ex duobus mensibus raro interrupta serie dominabatur tempestas inserena, pluviosa, frigida, autumnalis, cum noctibus frigidis, initiante Augusto finem adsecuta est; hoc enim mense coelum serenum, aër recreans, amoenus, siccus, calor aestivus, tempestates cum explosionibus electricis stipatae frequentes fuere; ut breviter dicamus: rediit, de qua jam desperavimus, aestas, quae scena immutata fere per totum regnabat Augustum.

	Thermometri.		Barometri.	
Altitudo maxima grad.	+ 27.0;	die 16.	poll. 28. 6.3;	die 11.
— minima, —	— 10.2;	die 30.	— 27. 11.7;	die 29.
— media, —	+ 17.09;		28. 3.8;	
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	11. 0; (die 6—7.)		0. 3.0; (a die 27 — 28.)	

Regnabat Zephyrus. Tempestates cum tonitru et fulmine frequentes. Noctes serenae ut plurimum, frigidulae, sicut matutinum et vespertinum tempus.

Pluviae cadebant 14 diebus.

Phases lunae: ☽ 3; ☺ 11; ☾ 19; ● 25.

Qui mense Julio regnavit genius morborum epidemicus, gastricus scilicet, simulque asthenico-ner-

vosus, et hoc mense ad majorem adhuc evolutus gradum omnes suae ditioni subjecit morbos. Tota morborum series, quos in nosocomii diariis allatos legimus, gastricis componebatur affectionibus et dira ista cholera. Character gastricus tam profunde impressus erat, ut vix morbus videretur, cui non saltem lateralis adhaesisset nota gastrica. Vix huc illuc inflammatiunculam vidimus, et hanc gastricae naturae observavimus. Decursus lentus, duratio longa, exitus non raro funestus, praesertim in cholera, quae eodem fere modo saeviit, ac autumno elapso. Haud memoratu indignum censeo, genii stationarii influxum auctum fuisse per eandem genii annui naturam, quum coinciderent et gastrico-nervosus stationarius et annuus.

Considerantes singulos morbos, sequentia praesertim obviam feruntur: Ex febribus gastricae et quidem biliosae prae saburralibus regnaverunt; intermittentes non observabantur; rheumaticae et catarrhales vix una alterave ex causa sporadica genitae. Nec rarae videbantur affectiones gastricae vix irritatione systematis vasorum febrili insignitae, vomitu et diarrhoea biliosa, per plures saepe dies durante, sponte solutae. Febres nervosae exquisitae rarae; status inter sthenicum et asthenicum fluctuans tamen saepius observabatur. — Inflammationum exiguus numerus sparsim solum occurrentium, excepto erysipelate, quod utpote ex gastrico propullulans fonte frequens observabatur. Singularem tamen mentionem major

carditidum meretur numerus. Perrarus hic morbus, per longam annorum seriem vix Viennae observatus, hac aestate frequentior nobis obviam venit, et quidem hoc mense magis adhuc, quam elapsis, ita ut in divisione nostra, quae 50 solum includit lectos ter nobis mense hoc decurrente, illius observandi occasio fuisset. Sine dubio factum hoc cum observata magna in hydrocardiam et hydrothoracem proclivitate cohaeret *).

Exemplum hujus sistebat: operarius 31 annorum, staturae procerae, fibrae rigidae, morbis pectoris jam saepe divexatus, qui capto circa 12. Julii refrigerio aegrotare incepit, pectus scilicet opprimebatur cum magna anxietate. Die 24. Julii ad nosocomium delatus nobis obtulit magnam in pectore anxietatem, uti sub gravi aliquo circuli impedimento; respiratio tamen minus impedita thorace peragenda; pulsus lentiores quam in statu sano, pleni, tensi; urinae profundius tinctae, largae, sonus tussis magis spasticus ac pneumonicus; praeterea dolor non acutus sed obtusus in regione cordis. Morbum cordis inflammatorium suspicantes in substantia potius quam involucris haerentem, secuimus venam ad uncias decem ex brachio sinistro, mixturam nitrosam propinantes, et clysma. Misso sanguine ictus cordis quidquam inordinati rhytmo tangebantur, simul cum pul-

*) Vide historiam morbi Nr. 23. carditidis accedentis phthisi pulmonali cum hydrothorace, cui cholera supervenit.

sibus; pulsus lentiores quam ipsa respiratio; lineamenta faciei magnam prodebant anxietatem; somnus inquietus, cum terrore subitaneo ex angore praecordiorum; febris ceterum sat valida; hinc alteram instituimus venaesectionem ad uncias octo, hirudines dein decem regioni cordis adposuimus, praeterea pulveres foliorum Digitalis purpureae ad granum semis pro dosi omni bihorio exhibuimus, medicamen continuando; unde levamen quoddam in pectore, ictus cordis minores, respiratio profundior, lentior, pulsus magis aequales, post tertium ictum intermittentes; tussis pacatior; caput quidquam liberius redditum. Elapsis 6 tractaminis diebus febris dissipata, ictus cordis minus fortes et minus irregulares, solum pulsus post secundum ictum intermittens, totusque igitur morbus sine ulla crisi vel lysi decrescens; hinc ad praevertendam crisim erroneam (nam frequens erat hydrocardiae his mensibus adparitio) quartam grani partem Calomelis junximus cum Digitali, unde ictus cordis magis magisque regularis redditus, thorax sinister liberior et tussis rara facta; remansit tamen pulsus adhuc exilior ac homini forti et laborioso hujus aetatis conveniret, id quod partim ex consuetudine partim ex parietibus cordis ab inflammatione praegressa incrassatis derivavimus; tandem post dies 18 tractaminis dimisimus illum sanum, non sine timore recidivae, curam claudentes cum vesicante huic regioni imposito.

Ex exanthematibus sola notanda venit scarlatina,

minori tamen in gradu regnans ac mense Julio. Variolae rariores. — Cachexiae consuetae; hydrops et scorbutus praeprimis tamen occurrebant.— Diarrhoeae frequentes, gastricae praesertim originis, uti jam memoratum, mox cum mox absque febri, aliqua fere semper ex morbo cholerico symptomata prae se ferentes. — Ex nevrosibus omni attentione dignae fuerunt colicae, quae et numero et intensitate insignes erant. Causa ut plurimum gastrica. — Quod morbum epidemicum choleram attinet, numerus quotidie allatorum circa 20 et 30 fluctuabat, ultimum tamen non transgrediens; 27. Augusti maxima videbatur afferri grex.

Generatim lentus utpote genio inflammatorio fere penitus sufflamminato, observabatur decursus. Eaedem semper medicorum quaerelae de plenario fere naturae medicatricis defectu, crisium absentia, duratione chronica, medicamentorum inertia. His in genere dictis facile imaginem febrium hoc mense grassantium ante oculos habebis. Nec in biliosis diarrhoea aut vomitus criticus, imo symptomaticus solum, nec in rheumaticis et catarrhosis perpaucis, quas vidimus, crisis aliqua, aut consueta die quinto vel septimo judicatio. Ut lente increvit, sic et recedebat morbi vis. Ex inflammationibus erysipelatum decursus magis notatu dignus, quae in choleram veram lubenter transiere, aut affinem saltem morbo huic characterem inducre, frequenter obtulerunt. Nec defuit aliqua in decursu erysipelatum anomalia, uti bullarum copiosa proruptio, aut morbi per parotitides di-

judicatio, quo momento affinitas cum cholera magis adhuc patefacta. Carditidum decursus chronicus magis. Et in morbos cordis posthumos, uti ex natura chronici decursus liquet propensio. Scarlatinae anomalae rarae; cachexiae consueto decurrentes modo; hydropes tamen diureticorum actioni pertinaciter resistentes. Diarrhoeae infuso Ipecacuanhae aut dto. Colombae et Salep optime cedentes. Magna attentione dignus cholerae decursus; morbum hunc, etsi extensitate auctum, intensitate praesertim primis duabus hebdomadibus vix imminutum, exeunte solum mense mitiorem, et in symtomatibus suis mutatum observavimus. Frustra cyanosim illam insignem mensibus Septembris et Octobris 1831, aut Majo 1832 tam communem, frustra spasmorum violentiam, frustra choleram sic dictam siccam quaesivisses. Natura magis gastrica praevaluit, hinc prodromorum — diarrhoearum inprimis antecedentium — frequentia, hinc excretionum copia major, character vomitu ejectorum ad biliosum magis accedens, alvi aquosa et floccosa conditio mox evanescens, reactionis et congestivi stadii gradus minor, aut majorem ad partem defectus plenarius, imo haud infrequens observatus status vere adynamicus, vera virium debilitas. Ad recidivas major propensio. Reconvalescentia ipsa diarrhoeis non raro exhaurientibus frequentius stipata. Parotitides post choleram rariores, sic et exanthematis urticati minus frequens observatio. Ex enumeratis et therapiae mutationem fluxisse patet. Ipecacuanhae usus frequens in infuso

et decocto inde explicandus, mox qua emeticum, mox refracta dosi. Magis restrictus venaesectionum et hirudinum usus, frequentior vero Calomelis in reactionis, Camphorae et Chinae in subsequenti astheniae stadio subministratio.

Quae mense Junio recesserat quantitas aegrorum, mense vero praegresso ad finem vergente iterum increscebat, hoc mense ad gradum sat altum evecta est, ita ut numerum aegrorum mense Augusto anni praegressi ob epidemiam febrium nervosarum, sat magnum, longe tamen superaret. Mortalitas mense praegresso jam excedens, hoc mense vero ingens fuit.

	Augusto anni 1832 (31. dierum).	Mense praegresso (31. dierum).	Augusto anni 1831 (31. dierum).
Intrarunt :	2626	2294	2348
Dimittebantur :	2016	1916	1983
Mortui sunt :	513	385	259

Calculus specialis mensis Augusti anni 1832.

	intrarunt	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade	551;	460;	94.
— secunda —	— 537;	— 437;	— — 103.
— tertia —	— 573;	— 430;	— — 97.
— quarta —	— 580;	— 485;	— — 107.
in ultimis 3 diebus	— 285;	— 204;	— — 52.
Summa totalis:	— 2626;	— 2016;	— — 513.


Media proportionalis pro quolibet die.

	intrar.	dimitt.	mort. s.
In prima hebdomade	79 (78);	66 (65);	13 (14).
— secunda —	— 77 (76);	— 62 (63);	—— 15 (14).
— tertia —	— 82;	— 61 (62);	—— 14.
— quarta —	— 97;	— 69;	—— 24.
in ultimis 3 diebus	— 95;	— 68;	—— 17.
Media proportionalis pro toto mense	— 85 (84);	— 65;	—— 16 (17).

Maximus aegrorum numerus: 110; intravit die 28.
Minimus — — 61; — — 12.
Maximus mortuorum — 33; fuit — 27.
Minimus — — 7; — — 20.

September.

Thermometrum Reaumuri. Barometrum reduct. ad 0° R.



Caput XI.

September.

Quae post duos menses inserenos regnavit Augusto tempestas grata, serena, calida, continuavit mense Septembri, pluviis hinc inde interrupta; aëris tensio magna, ita ut infra 28. 0. 0. nunquam recederet barometrum; temperatura vero, decurrente Augusto et priori hujus mensis dimidio, sat alta, sub altera ejus medietate, fremente Circio, multum subitoque recessit; praeprimis cum noctes per totum fere mensem serenissimae quidem ast hiemales regnarent. Ceterum quoad tempestatem non absimilis fuit ominosus September anni praegressi ab hoc mense.

	Thermometri.		Barometri.	
Altitudo maxima grad.	+ 20. 5.	die 1.	poll. 28. 9. 10.	die 23.
— minima —	+ 3. 8.	— 23.	„ 28. 0. 6.	— 15.
— media —	+ 12. 39.		„ 28. 4. 10.	
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	13. 0. (die 25.)		„ 0. 7. 0. (a die 13—14.)	

Venti dominabantur: Circius, Favonius et Lybs, ut plurimum debiles, raro fortes; tempestas serena inprimis altero mensis dimidio.

Pluviae cadebant 11 diebus.

Phases lunae: ☽ 2; ○ 10; ☾ 17; ● 24.

Noctes omnes fere serenissimae, clarae, amoenae, primo mensis dimidio calidiores, altero frigidissimae, versus finem magis iterum temperatae.

Generalem morbi characterem etiam hoc mense gastrico-nervosum observavimus, ea solum cum differentia, ut nota quaedam inflammatoria, etsi admodum exigua, mense Augusto penitus fere desiderata nunc in conspectum prodiret, quam vero non tam mutato genio epidemico stationario, quam accedenti potius, genio annuo autumnali adscribendam putamus. Primo enim jam hujus mensis hemisphaerio, nonnullae observabantur febres catarrhales et rheumaticae, quibus mox inflammationes, leviores tamen, membranarum mucosarum et serosarum associabantur. Transgressum ex genio mere gastrico, uti prioribus mensibus fuit, ad illum nunc memoratum per erysipelata factum fuisse observavimus. Benignum hujus genii novi influxum luculentissime in cholerae epidemicae decursu vidimus, quae hoc mense, paucis exceptis diebus (in quibus quaedam a tempestatis mutatione dependens exasperatio observabatur), mox sufflaminata non solum rapidissime decrevit, sed et penitus exstinguebatur. Pro eminente, initio hujus mensis, charactere gastrico loquuntur inprimis colicae saturninae, quae raro purae visae sunt, sed multum ex charactere gastrico participavere, antigastricis remediis brevi tempore facile debellandae. En exemplum:

Juvenis 19 annorum, pigmentario opere occupatus,

qui bis jam colicam saturninam superaverat, incepit, praegressis per aliquot dies anorexia, sapore fatuo, alvo obstipa, 2. Septembris subito vomire biliosa cum dolorum abdominalium temporario levamine, quod propinata mixtura oleosa iterum abstersit; diebus sequentibus (3. — 9.) sub repetitione hujus scenae, dolores in toto abdomine enati inprimis circa umbilicum, noctes inquietae, hinc 4. Sept. ad nos se deferri curavit: gingivae retractae, cum margine livido cinctae, dentes non spurci, halitus foetens, lingua muco crasso albo obducta, epigastrium sub pressione sensile, ceterum abdomen molle, non retractum, ad umbilicum dolens sub pressione, alvus clausa, pulsus afebrilis quidquam contractus, non facile supprimendus. Exhibito dto. Gram. cum sale amaro, impositis cataplasmatibus emollientibus ad abdomen praeter clysma emolliens omni trihorio repetendum, lingua purior facta est, et epigastrum paullulum liberius; cum tamen dolores perstarent ad umbilicum, et alvus continuo clauderetur, exhibuimus Calomelis grana duo omni bihorio, quam dosim, secuta post dimidium diem alvo faeculenta multum levante, ad granum restrinximus. Post diem unum alterumve tamen, cessarunt paullisper dolores ad umbilicum, et emergebat magis affectio gastrica, ad quam debellandam dtum. Graminis cum extracto Graminis, et aqua laxativa Viennensi, seposito Calomele, in usum vocavimus cum optimo fructu; ut sanus dimitteretur post 5 dies tractaminis, morbi die septimo.

Tales casus, qui regnantem characterem gastricum ejusque in omnes ceteros morbos dominium luce clarius nobis offerunt, plures his mensibus occurrebant quam alio tempore, et mixtum ex colica saturnina et gastrica monstrabant hac ultima praedominante.

In specie ex febribus excellebant gastricae, quarum series vero, altera mensis hebdomade jam catarrhosis et rheumaticis interrumpebatur; hae ad finem mensis usque, quantitate continuo augebantur, gastricis eodem gradu recedentibus. Febres nervosae circa medium mensis iterum in conspectum prodibant, licet status magis fluctuasset adynamicum inter et activum. Perseverante enim pulsu tenso et utcunque forti, symptomata quaedam adynamica, uti vertigo, aurium susurrus, baryecoja, lingua sicca, meteorismus evolvebantur, quae eodem gradu sensim quoque recessere. Intermittentes admodum rarae, licet Vindobonae hoc anni tempore secus admodum frequentes. — Ex inflammationibus primo nobis se obtulerunt erysipelata, nonnunquam sat intensa; circa duodecimum hujus mensis leves inflammationes membranarum serosarum et fibrosarum: pleuritides, peritonitides, et arthritides acutae, ultima septimana pneumoniae caput extollebant, non quidem phlegmonosae, satis tamen graves et non raro cito aegrum jugulantes. Incepere ut plurimum symptomatibus gastricis, primo intuitu levioris momenti, quibus tertio aut quarto die, subito oppressio pectoris, summa

anxietas, dyspnoea, metus suffocationis cum tussi continua associabantur; sputa mox ichorosa, nigricantia, resoluta fere evadebant et post 12 — 24 horas mors cum symptomatibus paralyseos pulmonum secuta, quin therapia strenue antiphlogistica aliquem tulisset fructum. Carditis et hoc mense saepius visa, cujus exemplum nobis exhibuit:

Juvenis 18 annorum, formosus, qui ex 4 jam annis morbis cordis, saepius ex variis causus redeuntibus obnoxius, incepit de novo 2. Septembres aegrotare simili modo; 4. Septembris vesperi ad nosocomium delatus cum insigni palpitatione cordis et praecordiorum anxietate summa, nobis noscentibus illius individualitatem, dictavit necessitatem sanguinis missionis ad uncias sex, cum usu pulveris foliorum Digitalis purpureae; crusta nulla, placenta crassa, serum normale; altero die (5. Septembris) multo magis pacatus sequentia nobis obtulit: physionomia anxietatem exprimens in longum distracta fuit, caput vertiginosum, elevatio thoracis aequalis ast exigua, cardiopalmus tremulus, vehemens, fortis, citatus, cum pulsu non correspondens, ejus sonus facile adstantium auribus percipiendus, pulsus vix numerandus. Errorem suspicantes organicum, id quod ex tot recidivis verosimile videbatur, tristemque statuentes prognosim, levamen saltem temporarium inducere conati sumus; hinc praeter infusum ex foliorum. Digit. purp. granis sex ad uncias quinque cum aqua foeniculi uncia et emulsum nitratum, hirudines octo adplicavimus ad

regionem apicis cordis, quorum vulnerum fluxus difficulter sisti potuit; levamen inde magnum; thorax melius elevabatur; ast palpitatio cordis vehemens cum strepitu et typus intermittens pulsuum summe citatorum, succussiones involuntariae frequentes. Aucta sensim dosi Digitalis ad grana octo et decem, et exhibito, loco emulsionis, potu limonadae, palpitatio cordis multum remisit, minus vehemens et cum pulsu isochrona facta; pulsus moderatissime frequens, ita ut tandem melius se tentiret, quam ante morbi introitum, hinc post 13 dies morbi, 10 tractaminis statu meliori eum dimisimus, tristem animo foventes metum, ne frequentes carditides saepius in hoc puero redeuntes, molem cordis ultro augeant, eoque hydropem primo pulmonum ac dein totius corporis inducant.

Parotitides frequentius observatae non solum post choleram, sed qua crisis erronea praesertim in febribus asthenicis. Inflammatoria intestinorum affectio, uti mense Augusto et hoc mense observabatur. Dysenteriae nonnullae. — Ex exanthematibus scarlatina frequentior, hincinde exitialis, ex qua choleram mox exstinguendam praesagire licuit; nec non variolae verae et modificatae, ad finem mensis magis iterum observandae. En exemplum scarlatinae hoc mense observatae summe malignae:

Serva 27 annorum 21. Septembris subito aegrotare incepit; scilicet praevio horrore solemni, calor urens emicuit, cum insigni prostratione virium et ce-

phalaea gravante; alvus simul diarrhoica. Die 24. Septembris rubor apparuit maculosus in cute sine angina. Die 25. Septembris vesperi ad nos delata, pulsum exhibuit parvum et celerem cum summa virium prostratione; caput temulentum; loquelam interceptam; in pectore, trunco et extremitatibus ruborem cutis caerulescentem; foetorem cadaverosum; hinc calore ardente et siti admodum urgente, acida mineralia exhibuimus, ad Camphoram simul confugientes; nuchae vesicans erat impositum. Increscentibus dictis symptomatibus post primum diem tractaminis, post morbi autem diem quintum exspiravit.

Cachexiae consuetae non majori copia ac secus. Vomitus et diarrhoea non rara per omnem mensem uti et colicae gastricae, quae ad inflammationem intestinorum crassorum supra memoratam saepius intendebantur.

Quod decursum attinet, in genere ea, quae de epidemico, genii stationarii influxu dependentia, mensibus praegressis observabantur et Septembri observare licuit. Decursus lentus, crises nullae, defectus symptomatum activorum, adynamicorum vero in morbis ceteroquin activis praesentia, primas morborum mense Septembri decursus lineas sistunt.

Cholera, quae summo mense Augusto adhuc saeviebat, et ultimis ejus diebus imminui coepit, rapide decrevit, ita ut 28. Septembris ultimus cholera decumbens ex nosocomio sanus dimitteretur. Uti extensione, sic et intensitate morbus multo mitior, ita ut

sanatorum numerus prae illo mortuorum multum excelleret, formae cholerae maximam ad partem hybridae observarentur, recedentibus symptomatibus cyanoseos, spasmorum, frigoris marmorei, excretionum characteristicorum, et natura magis ad diarrhoeas gastricas et rheumaticas accedente. Reconvalescentia tamen lenta; morbi posthumi rari.

Quod aegrorum attinet quantitatem sequentia ex schemate mox adducendo elucent:

1mo. Aegrorum, nosocomium hoc mense adeuntium, quantitas simul cum mortuorum numero insigniter subitoque recessit, inprimis circa hebdomades priores, id quod rapido cholerae epidemicae decremento adscribendi non haesitamus.

2do. September anni praegressi ob eruptionem cholerae epidemicae in nostra urbe multo plures numeravit tam aegros quam mortuos.

	Septembri 1832 (30 dier.).	Mense praegresso (31 dierum).	Septembri 1831 (30 dierum).
Intrarunt:	2004	2626	2257
Dimittebantur:	1947	2016	1907
Mortui sunt:	340	513	478

Calculus specialis mensis Septembris anni 1832.

	intrarunt	dimitteb.	mort. sunt
In prima hebdomade	482;	466;	125.
— secunda —	477;	447;	70.
— tertia —	424;	439;	61.
— quarta —	410;	392;	69.
— ultimis 2 diebus	111;	113;	15.
Summa totalis:	2004;	1947;	340.

Calculus specialis pro quolibet die.

	intrarunt	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade	69;	67;	18.
— secunda —	68;	64;	10.
— tertia —	61;	63;	9.
— quarta —	59;	56;	10.
— ultimis 2 diebus	55;	52;	7.
Media proport. pro toto mense	67;	65;	11.

Maximus aegrorum numerus: 105 intravit die 4.

Minimus — — 45; — — 16 et 22.

Maximus mortuorum — 27; fuit — 2.


Minimus — — 6; — diebus 9, 19, 26.

Caput XII.

October.

Tempestas hoc mense regnans, vix uno alterove die excluso serenissima fuit, incuntis potius quam claudentis autumni imaginem sistens, praegressam ultimam aestatem quasi supplens; id quod in tota natura quoque visibile et conspicuum fiebat, quae novitus florere et reviviscere videbatur, dum sub media aestate jam pratorum herbarum et arborum decus exstinctum fuisset. In specie vero haec a 1 — 6 regnavit tempestas amoenissima, quae a 6 — 14 incepit quidquam mutari, frigidula evadere, pluviosa, ventosa, aspera, magis autumnalis; barometrum ac thermometrum recessere; a 14 ad finem mensis rediit iterum tempestas serena, amoena, sicca, quieta non ventosa ad meridiem sat calida, mane et vesperi non adeo frigida; nebulae vero rarae, eaeque tenues; barometri statio altissima insolita et constans; ad 20. Octobris differentiae caloris diurni et nocturni majores, nebulae quoque diutius perstantes, ad 24. Octobris nebulae crassiores, caloris differentiae jam magnae, frigus hinc inde mane et vesperi intensum; mane larga saepe pruina. Noctes per totum mensem clarae,

Barometrum reductad 0° R. Thermometrum Reaumuri.



amoenissimae, jucundissimae, priori mensis medietate modice calidae, altero vero haemisphaerio intense frigidae fere hiemales.

	Thermometri.		Barometri.	
Altitudo maxima grad.	+ 18. 5.	die 2.	poll. 28. 9. 11.	die 25.
— minima —	— 0. 2.	— 31.	— 28. 1. 1.	— 6.
— media —	+ 8. 55.		— 28. 5. 11.	
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	10. 0. (die 2.)		— 0. 4. 0. (a die 12 — 13.)	

Venti regnantes priori mensis dimidio inter Vulturnum et Lybium, illi, qui altero mensis dimidio regnabant, inter Euronotum et Argestem fluctuabant.

Pluviae cadebant 8 diebus.

Phases lunae: ☽ 1. ○ 9. ☾ 16. ● 31.

Qui hoc mense regnabat morborum character generalis, nec mere activus fuit, nec mere passivus; nam quamvis naturae medicatricis auxilia promta ubique fere desiderarentur, non defuere tamen et manifesta nunc criseos mensibus praegressis diu desideratae signa; sic et morbi inflammatorii, minoris quamvis intensitatis, frequentiores, morbi vero adynamici rariores observabantur. Accedebat igitur character morborum generalis magis ad activum quam mense praegresso, gastrico pertinaciter perstante, et catarrhoso-rheumatico caput magis extollente.

In specie vero e febribus gastricae eminebant, dein catarrhosae, rheumaticae, nec non gastrico-biliosae, sub quarum decursu ut plurimum lento, non raro nota quaedem nervosa, scilicet lingua rubra, sicca, caput vertiginosum, temulentum, abdomen pa-

rumper meteoristicum, pulsus debiles, molles, facile comprimendi etc. subripiebant.

Exemplum nobis suppeditavit: calceolarius 18 annorum, qui semper sanus incepit 1mo. Octobris ex refrigerio, ut credit, male se habere, tentato encephalo; mox vires dejectae, ita ut labores non amplius peragere posset, praeprimis cum hausto iteratim laxante alvus diarrhoica rueret; sub hoc rerum statu ad nos delatum invenimus viribus admodum prostratum, cum pulsu molli, facile comprimendo, modice frequenti, cuti et lingua arida, sapore amaro, siti modica, cephalaea vertiginosa et susurru aurium cum baryecoja, dolente regione epigastrica praecipue ad lobum sinistrum hepatis, pectore libero, abdomine expanso, meteoristice resonante, in regione ilei dolente, de nocte deliria. Postquam sinapismis undique cutim irritavimus et Ipecacuanham serius Tartarum emeticum refr. dosi in dto. solvente exhibuimus, unde alvus rarior facta, balneo repetitis vicibus immisimus aegrum; linimentum volatile abdomini inungendo. Sensim morbus solvebatur sine ullis criseos indiciis, ut jam post 18 tractaminis dies sanus dimitteretur.

Febres intermittentes multo parciores ac hoc mense esse solent, sparsim solum occurrentes, ejusdem tamen quantitatis ac mense Octobri anni elapsi, vel tertianae, vel quartanae, hinc inde larvatae, omnes vero aegre debellandae, imo medelae solerti et strenuae pertinaciter saepe resistentes; febres nervo-

sae non adeo rarae, ac mensibus praegressis, semper tamen parcae. — Ex inflammationibus genuinae nullae fere, sed catarrhosae praeprimis et rheumaticae observabantur; frequentissima ex illis angina gradus sat intensi; ex his peritonitides et pleuritides in pneumonias nitentes; contra quas non raro therapia antiphlogistica strenua in usum vocanda fuit, ita ut venaesectionibus frequentius opus esset ac mensibus praegressis; pleuritides quoque biliosas, quamvis non tam explicatas, nec adeo frequentes, uti mense Februario et Martio, ex complicatione genii rheumatici cum gastrico ortas vidimus. Inflammationes articulorum vix ullae. — Ex exanthematibus variolae regnabant frequentiores ac autumno solent, malignae nonnunquam in putridum facile nitentes.

Hujus exemplo nobis fuit femina nupta 32 annorum, nunc gravida quae 19. Octobris subito horrere incepit, dein calere contra morem, sine ulla causa nota; ast post labores consuetos peractos noctem transegit sub aestu molestissimo admodum inquietam, cum doloribus sacralibus; 20. Octobris status idem; a die 20. — 21. Octobris prorupuit exanthema, quod 22. Octobris, ubi ad nos deferebatur ad speciem morbillos inter et variolas medium tenebat: scilicet maculae non asperae, sed planae, diffusae, cum marginibus laceris in pectore, in dorso autem cum umbilico instructae, dolores in faucibus, praeterea effusiones sanguineae intra epidermidem, hinc, regnantibus tunc tempore epidemice variolis, non raro malignis, nullis vero

morbillis pro illis fecimus diagnosim simulque ante omnia balneum tepidum et interne praeter Camphoram acidum minerale exhibuimus in dto. emolliente; prorumpentes post balneum pustulae confirmarunt nostram diagnosim, ast status semper pejor; vespere accessit epistaxis per noctem durans larga, alumine difficulter sistenda, et abortus sequebatur sine omni dolore et sanguinis jactura, hinc dtum. emolliens commutavimus cum dto. Chinae et 23. Octobris mane ob metum, ne aliae quoque aegrae ab ea inficerentur; transferebamus illam in divisionem variolosarum, ubi eodem adhuc moriebatur die.

Inprimis vero scarlatina altero mensis dimidio latius extensa occurrebat cum exitu haud raro infelici vel ob anginam vehementiorem, vel ob majores congestiones ad encephalon, vel ob majorem, qua intravit exanthema, vehementiam, vel ob subsequas parotitides non infrequentes. — Ex cachexiis hydropes ex male dijudicatis membranarum serosarum inflammationibus, activae plerumque non infrequentes, methodo antiphlogistica solvente, nitro, cremore tartari, liquore terrae foliatae tartari, salibus neutris debellandae. Phthises quoque numerosae ad Orcum migrabant. Scorbutus rarus. — Sputum sanguinis ex pulmonibus et congestiones ad hoc organon praecipue versus finem mensis frequentius occurrebant. — Nevroses uti mensibus praegressis.

Cholera, nostra in urbe non amplius visa, quamvis character cholericus non in paucis morbis aperte

emergeret; congestiones scilicet ad interiora subitaneae, et paralysis, unde et hoc mense non infrequens fuit mors subitanea. —

Quantitativam in nosocomio circa hunc mensem rationem examinantibus, sequentia innotuerunt:

1mo. Quae mense elapso multum jam cum cholera epidemica decrevit aegrorum et mortuorum quantitas, hoc mense multo magis adhuc et quidem aequali rythmo imminuebatur; non potuit tamen quoddam versus mensis finem praetervideri aegrorum et mortuorum incrementum.

2do. Mensis hic cum eodem anni praegressi comparatus, aequalem fere aegrorum, sed duplo minorem mortuorum involvit numerum.

	Octobri 1832 (31. dierum)	Mense praegresso (30. dierum)	Octobri 1831 (31. dierum)
Intrarunt:	1772	2004	1825
Dimittebantur:	1649	1947	1823
Mortui sunt:	200	340	397

Calculus specialis mensis Octobris anni 1832.


	intrarunt	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade	398;	373;	49.
— secunda	400;	364;	41.
— tertia	390;	358;	48.
— quarta	381;	383;	40.
— ultimis 3 diebus	203;	171;	22.
Summa totalis:	1772;	1649;	200.

Media proportionalis pro quolibet die.

	intrarunt	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade	57;	53;	7.
— secunda	57;	52;	6.
— tertia	56;	51;	7.
— quarta	54 (55);	55;	6 (5).
— ultimis 3 diebus	68;	57;	7.
Media proportionalis pro toto mense.	57;	53;	6 (7).

Maximus aegrorum numerus: 79; intravit die 2.
Minimus — — 37; — — 20.
Maximus mortuorum — 72; fuit — 21.
Minimus — — 2; diebus 17 et 27.

Thermometrum Reaumüri. Barometrum reductum ad 0° R.



November.

Caput XIII.

November.

Tempestas hoc mense regnans, autumnalis sensu pejori i. e. variabilis, inconstans fuit; quos enim autumnus fert fructus, imbres, nives, nebulas crassas, procellas, frigus hiemale cum Zephyro varians molli adulante, haec omnia intra breve tempus subito saepe se excipientia nobis oblata sunt, quibus accessit medio praeprimis mense, sub alta baroscopii statione, magna et ingratissima aëris, ceteroquin acris tensio, cui propriam quoque mox describendam genii autumnalis modificationem tribuendam esse credimus. In specie vero haec regnavit tempestas: a 1—9 sub nebulis crassis constantibus, largae cadebant pluviae de die et nocte, baroscopii statio depressa infra 28 pollices; temperatura inter + 3° et + 10° R. fluctuans, aër ipse deprimens, relaxans; venti ut plurimum intra Circium et Lybium, noctes a diebus non dissimiles nisi temperatura minori; a 10 — 20 ventus mutatus in Euronotum, cessarunt pluviae, barometrum sensim sensimque ad majorem altitudinem increvit, thermometrum recessit; aër minus inserenus, nebulosus, deprimens. A 20 — 27 fortiter flante Vulturno subito recedit thermometrum, barometrum

vero ad insolitam evehitur altitudinem; aër inserenus, acris, frigidissimus, tensus, ingratus (ob subitaneam mutationem), hiemis provectae imago. A 27—28 nives tenerae, quasi criticae, unde 29 aër mollior, gratior, serenior. 30. vero aër vernalis, adulans, mollissimus, ingratus, relaxans. Hoc mense fuerunt:

	Thermometri.		Barometri.	
Altitudo maxima grad.	+ 10. 8.	die 1.	poll. 28. 8. 3.	die 18.
— minima —	— 5. 2.	— 28.	„ 27. 10. 3.	— 3.
— media —	+ 2. 10.		„ 28. 4. 8.	
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	7. 0. (a die 8—9.)		„ 0. 5. 0. (a die 2—3 et 29—30.)	

Medius ventus fuit primis 9 diebus Argestes modice flans; serius continuo fere Euronotus fortiter spirans.

Pluviae cadebant 10 diebus.

Nives habuimus 4 diebus.

Phases lunae: 8. ☺; 15. ☾; 22. ●; 30. ☽.

Qui mensibus jam praegressis regnavit, generalis morborum character: gastrico-nervosus (-adynamicus) et hoc mense dominium cepit gradu parumper auctus, id quod testantur cachexiarum major ac solito frequentia, proclivitas in collectiones serosas, decursus ut plurimum lentus, sanatio difficilis, reconvalescentia tarda, recidivae sat faciles; sub ipso vero decursu crisium solennium nulla fere indicia, ipsaeque lyses incompletae, cautissima nonnisi therapiae strenuo antiphlogisticae adplicatio, et sub hac tamen facilis adynamiae evolutio. Notatu dignum porro censemus, notam gastricam, quae jam mense Feb-

ruario magis in conspectum prodiit (pleuritides biliosae) et tempore aestivo summa cepit incrementa (cholera), nec nunc genio annuo autumnali cessisse, imo in nullo fere morbo desideratam fuisse. Character vero morborum lateralis a genio annuo autumnali dependens catarrhoso-rheumaticus.

In specie tamen primo mensis dimidio febres et affectiones catarrhosae (coryzae) et rheumaticae frequentius occurrebant, quibus persaepe subitaneae congestiones, vel symptomata quaedam adynamica accessere, unde decursus irregularis; in febribus rheumaticis (et inflammationibus articulorum) metaschematismus saepius observabatur, cum infausto plerumque exitu, unde mors nonnunquam inopinata.

Quae non paucis morbis sociam se obtulit nota nervosa, peculiarem hic attentionem meretur, haec scilicet adynamiae signa, quae secundo jam morbi die non raro manifesta erant (et genii adynamici praesentiam aperte testantur) fuere: caput vertiginosum, susurrus aurium, baryecoia, oculi multum injecti, pupilla parum et nonnisi lente mobilis, conscientia libera, congestiones ad pectus passivae manifestae, meteorismus, regio iliaca dextra dolens sub attactu, alvus clausa, per enemata vel purgantia sollicitanda, torpor in musculis voluntariis, cutis calor fere infra normalem, pulsus debilis facile comprimendus, vacuus, lentus; in sectionibus cadaverum non raro ileitidis illius ulcerosae symptomata, nec non organorum internorum sanguine oppletio. Morbus hic

post choleram saepe visus, ob febris gradum minorem, medicis practicis, sub nomine debilitatis vitalis torpidae frequenter imposuit; has vero febres sicuti genium ipsum intime cum cholera praegressa cohaerere, et genio, ut ita dicam, cholerico deberi, mihi saltem videtur verosimile esse; febris haec intra statum activum et passivum fluctuans, Ipecacuanha, Arnica, Tartaro emetico, solventibus, purgantibus, epispasticis cum fructu debellata est, quamvis mors, qua sequela congestionum non rara fuisset. Notandum tamen habeo, quod haecce descriptio magis originaria raro tam pura obvenerit, ut potius in praxi magis minusve completa occurreret. Huc pertinent quoque febrium puerperalium magna copia, decursus rapidus, mors frequens citissima inopinata.

Febres gastricae sat frequentes cum nota biliosa vel rheumatica saepe junctae. Febres intermittentes admodum rarae, quamvis typus intermittens, non paucis subriperet morbis. — Ex inflammationibus catarrhosae et rheumaticae per totum mensem continuo vigebant, primo tamen mensis dimidio catarrhosae, altero vero rheumaticae eminebant; ex illis angina ex his pleuritides et peritonitides nec non inflammatio articulorum rheumatica frequenter observabatur. Pneumoniae quoque visae, plerumque rheumaticae, non parenchymatosae, in quibus post unam alteramve venaesectionem symptomata adynamiae supra enarrata cito saepe evolvebantur. — Quoad exanthemata variolae et scarlatina regnabant; haec minori ac mense

Octobri copia, illae majori observandae, benigniores tamen ac mense elapso; ad finem mensis variolae epidemice regnabant, sub quarum evolutione, graviora saepe symptomata observabantur. Erysipelas non infrequens. — Ex cachexiis hydropes, non e febribus intermittentibus sed potius ex inflammationibus membranarum serosarum male dijudicatis oriundi sat frequenter, minus copiose phthises occurrebant, quam hoc mense occurrere solent; scorbutus vix unquam visus; obstructiones et infarctus viscerum abdominalium non rari. — Pneumonorrhagiae inprimis versus finem mensis frequentiores. — Neuroses non saepius visae ac mense elapso. Apoplexiae frequentes ultra normam *). — Cholera epidemica nulla; symptomatica biliosa hinc inde.

Quantitas aegrorum a medio mensis multum increvit versus finem, quamvis eadem manente mortalitate, mortuorum tamen in prima hebdomade major ac in sequentibus numerus eorum simul, qui dimittebantur, relative minor ac consuetim, ita ut ad morborum chronicorum frequentiam concludi debeat. Ad annum vero 1831 relatus aegrorum numerus offert eorum copiam eandem sed mortalitatem majorem.

*) Vide historiam morbi Nr. 15: Apoplexiae.

	Mense Novembr. 1832 (30 dierum).	Mense praegresso (31 dierum).	Mense Novembr. 1831 (30 dierum).
Intrarunt:	1845	1772	1841
Dimittebantur:	1370	1649	1361
Mortui sunt:	199	200	266

Calculus specialis mensis Novembris anni 1832.


	intrarunt	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade	397;	291;	54.
— secunda	407;	362;	47.
— tertia	446;	327;	34.
— quarta	470;	326;	52.
— ultimis 2 diebus	125;	64;	12.
Summa totalis:	1845;	1370;	199.

Media proportionalis pro quolibet die.

	intrar.	dimitteb.	mortui sunt
In prima hebdomade	57;	42 (41);	8.
— secunda	58;	52,	7.
— tertia	64;	47;	5.
— quarta	67;	47 (46);	7 (8).
— ultimis 2 diebus	63;	32;	6.
Media proport. pro toto mense	61;	46 (45);	7 (6).

Maximus aegrorum numerus: 84; intravit die 29.
Minimus — — 37; — — 4.
Maximus mortuorum — 13; fuit — 13.
Minimus — — 2; — — 20.

Thermometrum Reaumuri. Barometrum reduct. ad 0 R.



Caput XIV.

December.

Tempestas inprimis priori mensis dimidio, ab illa Novembris autumnali non multum abludebat, pluviis, nivibus, nebulis, ventisque abundans, altero vero mensis segmento inprimis versus finem subitaneum gelu, aëris puri et sicci tensio sub altissima barometri statione. Magna tamen temperaturae inter extrema sat magna fluctuantis inconstantia ac mutabilitas hunc mensem distinguunt, dum barometrum saepe quidem variaret, in alta tamen statione continuo versaretur.

In specie vero haec regnavit tempestas: a 1 — 4 flantibus ventis Favonio et Lybio, profunda barometri statione, temperatura ad + 8° R. evecta pluviae cadebant; a 5—14 flantibus fere continuo Circio et Occidentali barometrum paullatim ad majorem altitudinem attollebatur, fluctuante circa punctum glaciale thermometro, ut nives nunc caderent, nunc cito difluerent, nunc iterum in superficiem glacescentem periculosam rigescerent; tempestas nubilosa, inserena, humida; noctes tamen sereniores fuere; a 14 — 31; barometrum per paucos dies recedens, mox vero continuo usque ad finem ad altiorem gradum ascen-

debat, dum thermometrum nunc recederet, nunc ascenderet. Venti vero primo Euronotus, Circius, ultimo iterum Vulturnus, modice tamen flantes, ita ut perstantibus quamvis nebulis, hinc inde sat crassis, aër tamen ob tensionem magnam amoenus et recreans esset, non deprimens, hincinde serenus, noctes nebulosae quietae, frigidiores, amoenae tamen, saepius serenae; hoc mense fuere:

	Thermometri.		Barometri.	
Altitudo maxima grad.	+ 8. 0;	die 2.	poll. 28. 8. 7.	die 8.
— minima —	— 9. 0;	— 15.	— 27. 10. 9.	— 4.
— media —	— 0. 97;		— 28. 4. 11.	
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	6. 0; (die 19.)		— 0. 4. 0. (a die 4 — 5.)	

Medius ventus Argestes et Zephyrus cum Euronoto alternans modice tamen flantes; imo aër quietus, raro motus, ita ut nebulae haud dissiparentur crassae.

Pluviae cadebant diebus 5.

Nives — — 10.

Phases lunae: 🌕 7. ☾ 14; ● 22; ☽ 30.

Qui hunc mensem distinguit character morborum generalis ab illo mensis praegressi non differt, gastrico-nervosus (adynamicus) igitur nuncupandus, gradu tamen auctus; relativa scilicet adynamiae imminutio, quae ex appropinguante hieme exspectanda fuit, locum non habuit; rariores enim, etsi tempestas frigida siccissima esset, inflammationes phlegmonosae, crebriores febres cum nisu in adynamiam, aucta in hydropicas collectiones proclivitas, auctus ipse aegrorum nosocomium intrantium numerus; his accessit

idem decursus lentus, (cum crisium solennium defectu) sanatio difficilis, reconvalescentia tarda, in recidivas nisus, sicuti jam mense elapso dictum fuit. Character vero morborum lateralis aperte rheumaticus fuit catarrhoso recedente, ita ut non solum febres et inflammationes rheumaticae hoc mense dominium tenerent, sed nisus in cutem universalis per molimina critica, sudores largiores vel depositiones ad cutem (abscessus, parotitides etc.), exanthemata (variolas et morbillos) hoc mense caput extollentia manifestaretur; congestiones per tot menses jam regnantes nunc quoque haud desiderabantur.

In specie vero ex febribus eminebant rheumaticae, (cum quibus gastrica nota persaepe socia incedebat), characterem fugacem nonnumquam ostendentes et ad metastases pronae, dein febres gastricae, et gastrico-biliosae cum turgescentia sursum versus, vomitu bilioso, alvo vero obstipa. Febres vero nervosae, quae hoc mense frequentius observatae sunt ac in praegressis, raro plenarie evolvebantur, sed morbis gravioribus sub prima statim eorum evolutione, forma symptomatum quorumdam nervosorum se associabant. Febres catarrhales minus frequenter hoc mense observabantur. Febres intermittentes rariores fuere ac consuetim Decembri esse solent, post medium mensis frequentiores tamen, raro rite evolutae sed sub typo subcontinuo aliis morbis subripientes. — Ex inflammationibus rheumaticae et ex his iterum pleuritides, et inflammationes articulorum rheumaticae (arthritides

acutae) eminebant, quae subito saepe et improviso non raro in conspectum venere sat magna intensitate. Pleuritides biliosae frequentes. Peritonitides quoque, praecipue in puerperis vehementes et malignae sub mensis initio saeviebant, ita quidem ut casus quidam occurrerent mulierum, elapsis nonnullis horis a morbi initio mortuarum, pneumoniae quae occurrebant rheumaticae plerumque fuere, et potius congestiones ad pulmones dici meruerunt; anginae faucium frequentes. — Quoad exanthemata, scarlatina et variolarum epidemia in decremento, morbillorum (a 5 jam annis hic epidemice non visorum) in incremento. Variolae in putridum nitentes earumque reconvalescentia tarda cortice suffulcienda. — Ex cachexiis hydrops et phthisis continuarunt, imo quantitate augebantur. Magna contra consuetudinem inprimis fuit hydropum, in specie vero hydrothoracum et hydrocardiarum non adeo benignarum caterva, ardue debellanda; diuresi enim bona moles aquarum increvit. — Ex profluviis haemoptoe et metrorrhagia non rara. — Nevroses numero parum auctae, ex iis praecipue convulsiones et apoplexia. Trismus neonatorum, sub initio mensis in brephotrophio frequens, mense exeunte silens. — Cholera nulla apud nos; observabantur tamen duo casus, unus ex inflammatione articulorum rheumatica evolutus cito aegrum jugulans, alter in puero 5 annorum (in brephotrophio) feliciter in sanationem transiens, qui ob similitudinem, nos non parum de vix superata cholera monuere.

Decursus morborum hoc mense regnantium lentus, ut mense praegresso, crises, si quae aderant incompletae, rarissimae, et si contigerant, per sudores potius quam urinas. Febres ut plurimum sat gravibus congestionibus stipatae occurrebant, praesertim ad pectus et caput, illae non raro pneumoniam, hae febrim adynamicam incipientem mentiebantur; epistaxis non raro allevans, vel artificialis depletio sanguinis universalis sive localis malum subito non raro abstersit. Febres rheumaticae hoc mense frequentissimae, characterem volatilem monstrantes. Ceterorum morborum decursus uti mense elapso. In genere optime conduxit methodus solvens, leniter antiphlogistica, simul in cutem agens. (Sales neutri. Tartarus emeticus). Venaesectiones rariores; stimulantium cautissima solum adplicatio.

Qui a medio versus finem mensis praegressi paullatim augebatur aegrorum xenodochium hocce intrantium numerus, prima hebdomade Decembris culmen nactus, abhinc versus finem iterum decrevit, ita tamen, ut ultimis 5 diebus denuo sat multum augeretur; mortuorum vero quantitas, quae mense elapso in ratione inversa fuit ita, ut ab initio versus finem imminueretur crescente aegrorum numero; hoc mense sub numero aegrorum relative minori etiam imminuebatur; cum hac minori mortuorum quantitate concordat et major hoc mense dimissorum numerus, uti ex sequenti calculo elucebit:

	Mense Decembris 1832 (31. dierum).	Mense elapso (30. dierum).	Mense Decembri 1831 (31. dierum).
Intrarunt :	1790	1845	1795
Dimittebantur :	1523	1370	1523
Mortui sunt :	176	199	226

Calculus specialis mensis Decembris anni 1832.

	intrarunt:	dimitteb.:	mortui sunt:
In prima hebdomade	465;	376;	45.
— secunda	449;	332;	34.
— tertia	396;	410;	45.
— quarta	408;	343;	45.
in ultimis 3 diebus	72;	62;	7.
Summa totalis:	1790;	1523;	176.

Media proportionalis pro quolibet die.

	intrar.:	dimitt.:	mort. s.:
In prima hebdomade	66 (67);	54;	6 (7).
— secunda	64;	47 (48);	5.
— tertia	57 (56);	59 (58);	6 (7).
— quarta	58;	49;	6 (7).
in ultimis 3 diebus	72;	62;	7.
Media proportionalis pro toto mense	58 (57);	49;	6 (5).

Maximus aegrorum numerus:	85;	intravit die	12.
Minimus — —	45;	— —	21.
Maximus mortuorum —	11;	fuit —	1.
Minimus — —	2;	— —	11 et 13.

PARS SECUNDA.

HISTORIAE MORBORUM.

Fortunate medebitur, qui remedii exhibendi occasiones sagax captat, quive repertae indicationi, potius, quam specificae cuidam remediorum virtuti confidit.

M. Stoll Ratio medendi.

AEGER PRIMUS.

FEBRIS NERVOSA CUM PNEUMONIA INTERCURRENTE.

Serva, 24 annorum, ex ira iteratim provocata et suppressa, a 4 hebdomadibus i. e. sub initio Octobris 1831 non appetit, languet, dolet caput, alvus ruit; ex 14 vero diebus friget caletque alternatim, amarus assumtorum est sapor, ructus et vomiturltiones similes, alvus diarrhoica flava; a 5 diebus his accedunt magna virium prostratio, vertigo, susurrus aurium.

Octavo Novembris ad nos defertur: lingua et cutis arida; pulsus frequens, debilis; tussis; meteorismus. Inf. Ipecacuanhae exhibuimus tenue cum syrupo diacodii; sinapismos ad suras; abdomini inunximus linimentum volatile. — Ast jam altero die (9. Novembris) et sequentibus respiratio fit gravior, stertorosa, accedit cardiopalmus; dolet pectus, sanguine tinguntur sputa; sub exacerbatione vespertina valida, recedunt adynamiae signa, lingua humescit, pulsus elevatur, cutis tamen sicca manet. Emollientia juncta alterantibus; vesicans, cataplasmata emollientia, balneum tepidum ordinabantur. Ex his quidem morbi remissio, sed nullum decrementum, imo subsequis diebus (12 — 15 Novembris) summa oritur pectoris

oppressio, respiratio fit laboriosa, stertorosa, sublimis, tussis vehemens cum sputis croceis; pulsus tensus; meteorismus et delirium; secuimus venam ad uncias quatuor. Sanguis missus exhibuit cruorem tenacem firmum, serum vix ullum, crustam inflammatoriam exiguam. Susurrus aurium inde minor, pectus paullo liberatum, exacerbatio vespertina modica sputa non amplius crocea. Exhibita fuit emulsio nitrata cum infuso Digitalis; Aethiops antimonialis ad gr. semis omni trihorio, balnea et cataplasmata emoll.; ast post diem redeunt superata vix pectoris gravamina, majori ac antea vehementia; pulsus fortis plenus evadit, ita ut hirudinibus sex ad pectus et venaesectione unciarum quatuor non sufficiente, ad tertiam denique sanguinis missionem librae semis confugiendum nobis esset. Respirationis inde quaedam libertas; ast magnus virium lapsus, pulsus collapsi, mens vacillans, deliria, sputa crassa meteorismus. Junximus igitur Camphoram cum Aethiope antimoniali, et emollientia in et externe applicavimus; ast nullum inde levamen, virium prostratio magna, pulsus frequentissimi, debiles, facillime comprimendi; thorax immobilis fere, respiratio nonnisi musculis colli peragenda, sputa tenacia, tussis modica. Hisce igitur non juvantibus, confugimus rejectis omnibus, ad Arnicam, exhibentes illius florum extracti grana decem in decocto emolliente; quod serius cum dto. Lichenis islandi commutavimus. Magna inde et benigna, fere subitanea mutatio; scena uno quasi ictu mutata;

pulsus pacati fortes, tussis et sputa rariora, vires multum refocillatae.

Tandem 8. Januarii, die morbi 75 tractaminis 62, dimisimus puellam.

AEGER SECUNDUS.

FEBRIS NERVOSA CUM CONGESTIONIBUS AD INTERIORA, ET AMENTIA SYMPTOMATICA.

Ancilla 29 annorum, ex pago Neudorf prope Vindobonam, quo febres nervosae tum temporis epidemice regnavere, 10. Octobris curru ad nos vecta, ex 14 jam diebus male se habere ait, menstruis solito parcioribus; ex 4 diebus caput dolet cum tinnitu et susurru aurium, adest vertigo, nec desunt gastrica quaedam symptomata, alvus vero clausa. Adhibitis alterantibus, cum emollientibus et eccoproticis junctis, post 6 dies (16. October) alvus deponitur ter faeculenta, copioso sanguine venoso intermixta.

Inde caput parum liberatum, symptomata vero nervosa recessere; attamen levamen hoc transitorium; mox enim (30. October) recedentibus paullulum symptomatibus nervosis, pectus opprimitur, enascitur tussis vehemens, cum sputis tenacibus, croceis, difficillime ejiciendis, pulsus magis fit concitatus et fortis, respiratio stertorosa magna, vertigo, lingua et cutis sicca. — Cum adhibita hucusque expectorantia, uti sal ammoniacus, oxymel Scyllae, Aethiops antimonialis etc.... insufficientem supeditassent effectum, ad

Digitalem confugiebamus, quam per mixturam oleosam mitigare studuimus; pectori vesicans erat adplicatum; cutis vero siccitati prospicientes balneum ordinavimus tepidum. Pectus inde liberius, expectoratio facilior, cutis in sudorem prona, pulsus minus frequens, mollior; ast hocce morbi decrementum nova et inexspectata symptomata interrumpebant: praegresso scilicet (25. Novembris) sanguinis e pulmonibus et naribus fluxu, incalescit caput, accedunt deliria ferocia, facies alienata collabitur, animus non praesens, somnus nullus, pulsus vero sano multo tardior; ita ut de narcosi per Digitalem suspicio a nobis moveretur. Hirudines ad tempora adplicatae, vesicans nuchae impositum, et epithemata frigida ad caput. Moschus vero ad granum semis omni hora et mixtura ex aqua Melissae cum spiritu nitri dulci propinata in usum vocabantur, unde sensim sensimque deliria mitiora et rariora, animus per intervalla praesens, noctes pliacidiores, somnus vero multum tranquillus, reficiens evaderet. Interea tarda fuit reconvalescentia ob summam debilitatem et perstantes congestiones ad pectus, ut aqua soteria Waldbrunnensis et Lichensis islandici decoctum, diu in usum trahenda essent. Sanam tandem dimisimus 10. Januarii, die morbi 107, tractaminis 93.

Congestiones ad varia organa interna vagae, nunc per epistaxes, nunc per alvum cruentam (id quod moderno tempore cholerico non raro vidimus), sublevatae, non solum hujus morbi, sed totius tum tem-

poris regnantis genii epidemici characterem continere videntur.

AEGER TERTIUS.

PHTHISIS LIENALIS.

Netrix 23 annos nata, a 4 mensibus id est medio Junii 1831, quo tempore infantem ablactavit, menstruis privata non bene se habuit, a 3 vero hebdomadibus horret et calet alternatim, abdomen dolet in regione lienis, formatur paroxysmus regularis, qui vesperi ingruit cum valido frigore et subsequo calore, ita ut nox sudore transigatur largo exhauriente; alvus haeret, appetitus viget.

Die 18. Octobris 1831 ad nosocomium delata faciem exhibuit cachecticam; aderat simul dolor in regione lienis circumscripte tumente per attactum augendus, in dorso pedis sinistri dolores intensi fixi, tumor vero et rubor ibidem nullus nec calor auctus. Vesperi ingruebat paroxysmus vehemens. Sub ejus frigore intenso dolores in toto abdomine saeviebant, plerumque in regione lienis; de die plenarie afebrilis, misere tamen decumbens. — Totum medicamentorum solventium, eccoproticorum et febrifugorum adparatum, praemissis et interpositis saepe localibus sanguinis detractionibus, et cataplasmatibus emollientibus diligenter continuatis, in usum vocatum sine ullo fructu sat diu adhibuimus; dolor ac tumor in regione lienis perstabat, in pede vero sinistro saepe stupe-

facto dolores pungentes scindentes, serius sensus horripilationis et frigoris ex pede assurgentis usque ad axillas ejusdem lateris oboriebantur. Exacerbationes vero vespertinae vehementiores, sudor per totam noctem protractus exhauriens, magna virium dejectio et totius corporis emaciatio. Methodos varias: antiphlogisticam diversi gradus, solventem derivantem pacantem frustra adhibuimus. Morbi rebellis decurrendi ratio, rem nobis cum suppuratione lienis esse, plus quam verosimile reddidit, therapiaeque firmum praefixit scopum. Tandem aegra consumta occubuit 13. Januarii die morbi 109, tractaminis 88.

Cadaver emaciatum, abdomen protrusum, pulmo dexter pleurae vicinae adnatus, illius substantia fragilis, in ejus bronchiis materia puriformis contenta, hepar praegrande, exsangue. In loco autem lienis invenimus tenue illius involucri ovalis residuum, magnitudinis capitis infantilis, includens ichor foetidum ex viridi brunescens, quod diaphragma hac in regione per foramen magnitudinis grossi argentei perforabat et sic cum adjacente pulmone communicationem sustinebat. Interna ventriculi facies in duabus plagis extensione lentis arosa usque ad membranam tenuem, ibi ubi cavo ichoroso summe vicina fuit; in pede vero sinistro nil abnorme; caetera statui hectico correspondentia.

AEGER QUARTUS.

FEBRIS NERVOSA CUM MILIARIBUS CRITICIS.

Serva, 20 annos nata austriaca, capto refrigerio primis Januarii h. a. diebus febri rheumatica corripiebatur, cui post 8 dies symptomata imminentis adynamiae: debilitas magna vertigo susurrus aurium se associaverunt. Ex eo tempore lectum tenens a medico frustra tractabatur, hinc 11. Januarii nosocomium petiit.

Suscepta est febri cum symptomatibus characteristicis febrium nervosarum stipata, si pulsum fortiorem et quidquam tensum excipias. Menstrua ex duobus diebus parca fluebant; alvus clausa ex nycthemero. Ordinabatur infusi Ipecacuanhae ex gr. sex parati, dti. emollientis $\overline{aa}$ lib. semis, vesicans ad nucham. Sine ulla mutatione status non incongrue inflammatorio-nervosus dicendus perdurabat sequentibus diebus, therapia eadem continuata, sinapismis solum ad varias plagas saepius adplicitis. Die 15. Januarii levis affectio inflammatoria tonsillae dextrae absque ansa sese manifestavit, quin tamen febris indolis mutationem inde experta fuisset. Altero die menstrua justo citius silebant; observabantur epigastrium dolorificum tumidum, lingua magis spurca, alvus segnis. Cataplasmata emollientia pudendis adposita illa brevi reducebant, per tres adhuc dies fluentia, et ut affectioni gastricae efficacius occurreretur drachmae duae Tart. Tart. priori medicamini adjiciebantur. Ab-

acta penitus (20. Januar) inflammatione tonsillae febris cum suis symptomatibus gastricis adynamicis, quorum modo hoc modo illud prae caeteris eminebat, pulsu praeterea prius descripto ulterius decurrebat ad 26. Januarii usque, ubi post largum sudorem miliaria largissima in abdomine et pectore prorupuere. Pulsus sub ipsa proruptione exanthematis jam molliores, et serius notam inflammatoriam magis magisque deposuere; vertigo susurrus aurium statim imminuti brevi penitus evanuere; symptomatibus gastricis solis levi adhuc in gradu perstantibus. — Sub therapia leniter solvente exanthema per tres dies florens successive disparuit, febris cum symptomatibus gastricis successive decrevit, et aegra 6. Febr. convalescentiae stadium intravit. Postquam ipsi in finem citioris restaurationis praeter victum congruum amaricantia porrigebantur 18. Febr. sana discessit.

Pulsus inflammatorius cum symptomatibus adynamicis — decursus lentus — therapia alterans leniter evacuans cum fructu adhibita — miliaria critica — hunc casum distinguunt.

AEGER QUINTUS.

FEBRIS RHEUMATICA CUM AFFECTO CAPITE, IN INTERMITTENTEM TRANSGRESSA.

Serva, 32 annos agens, 28. Decembris 1831 post refrigerium febri corripiebatur cum doloribus scindentibus lacerantibus in capite et pectore, respira-

tione profundiore dolorifica tussi rara, sapore limoso.

Aegra 31. Decembris 1831 in nosocomium defertur, ubi morbus pro febri rheumatica agnoscitur, eique opponitur therapia diaphoretica leniter solvens. Intra aliquot dies diaphoresi largiore comparente febris cum suis symptomatibus aequabiliter decrevit, excepta solummodo cephalaea quam tandem vesicans nuchae impositum abegerat. Ast die 5. Januarii a meridie frigus concutiens observabatur cum cephalaea vehementi sine aestu et sudore subsequo, quae scena (6. Januarii apyretice transacto) 7. 9. et 11. repetebatur. Quum et therapia alterans, periodicae cephalaeae opposita, et derivans externa frustra adhibita fuissent, ac quum porro et typus dolorum tertianus videretur et regio lienis tumida sub attactu doleret, pro febri intermittente tertiana declarabatur morbus et ordinabantur (13. Januarii) pulveres ex sulphatis chininae grano semis p. d. omni 2 horio noctu etiam continuandi, hirudines octo ad tempora et retro aures; 15. Januarii cephalaea per integrum continuavit diem, pulsus quidquam acceleratus magis contractus, sudor nullus; 17 et 19 eadem scena. Cum tamen die 21. Januarii paroxysmus vehemens rediret, ordinabatur dtum. cum extracto Taraxaci, infuso Rhei chinensis, et sale amoniaco depurato praeterea pulvis ex corticis Chinae drachma, omni bihorio summendus; nam sulphas chininae febrim non solum non fugavit, sed nec paroxysmorum ordinem turbaverat. Die 21. Januarii

frigus hora secunda a meridie exorta, paroxysmus igitur 4 horis postposuit; die 25. Januar. eadem adhuc fortitudine recurrens; 27. Januar minus jam erat explicatus; 29 vero tandem penitus emansit, non amplius rediens. Continuavimus pulveres ad 10. Februarii medicamen vero diutius retinuimus, quum et infarctus leves decrescerent, appetitus augeretur, et vires de die in diem majora caperent incrementa. Juncto cum hac therapia simul victu nutriente, eupepto, aegra 23. Februarii penitus sanata nosocomium relinquere potuit.

AEGER SEXTUS.

FEBRIS GASTRICO NERVOSA.

Femina 24 annorum constitutione tenera et habitu phthisico insignita, post morbos infantiles feliciter exantlatos semper sana, 10. Januarii cephalaea subito corripitur lacerante tussi levi et febricula moderata, quibus in diem auctis et somno fugato menstruorum fluentium ex terrore suppressio (12. Januar) accessit.

Cum morbo talimodo exasperato et per symptomata gastrica aucto, aegra in nosocomium 17. Januarii adlata suscipitur febri gastrica moderata tamen, in adynamiam nitente. Pectus liberum fuit, abdomen expansum sensile meteoristicum; menstrua solum stillantia, per hirudines et cataplasmata emollientia pudendis adposita non revocanda; diarrhoea initio bi-

liosa serius mere aquosa in diem aucta, debilitas magna, physionomia in pejus mutata; quibus omnibus vomitus quoque accessit, ita ut (23. Januar) de cholera epidemica appropinguante dubium nullum superesset; hinc sepositis Arnica, Ipecacuanha, sale amoniaco etc. pro sistenda diarrhoea frustra alioquin adhibitis, ad aquam frigidam confugimus, quam avide adpetebat, unde mox cholera quidem depulsa, morbus vero primarius iterum (5. Februar) recruduit sine causa sufficiente. Primo scilicet diarrhoea dein vomitus aquosus, pulsus filiformis, facies hippocratica, pectus oppressum, respiratio molesta citata parva, abdomen meteoristicum, ita ut de salute recuperanda desperantes soli indicationi vitali innixi Corticem cum Valeriana et acido sulf. diluto, praeterea Camphoram, epispastica ad extremitates, balneum universale tepidum et vinum potui admiscendum exhiberemus. Corticem serius ob diarrhoeam recrudescentem omisimus, liq. Cornu Cervi succ. cum pulv. gg. arab. medicamini addentes. Summa debilitas cum alvo diarrhoica constanter perdurabat; haec vero per additam Colombae radicem in aqua Cinamomi sisti non potuit; congestiones ad pectus auctae, tussis frequens cum sputis crassis difficulter expectorandis; debilitas eximia, ita ut ad sepositam ob congestiones Camphoram denuo refugeremus cum Moscho nunc junctam, et cataplasmata pectori imposita. Proximis diebus (25. — 29. Februarii) saepius per diem riguit sine subsequo calore, respirationis summa difficultas,

tussis continua, sputa crassa tenacia non amplius expectoranda; facies collapsa, febris indolem potius suppuratoriam assumens. Tandem (29. Februarii) abdomen summe expanditur dolet, pulsus fere nullus, status agonis et mors.

In secto cadavere invenimus intestini coeci et colonis ascendentis gyra inter se conglutinata et involucrum eorum peritonaeale incrassatum, omnes vero intestinorum crassorum membranae lividae tumentes et in variis locis perforatae; horum intestinorum membrana villosa incrassata tumidula atque cum ulceribus sat latis et profundis obsita, quae ulcera magnitudinem circiter grossi argentei aequantia nunc ad solam membranam musculosam restricta fuere, nunc vero profundius penetrantia ipsum involucrum a peritonaeo formatum perforabant; hoc intestinorum ivolucrum a peritonaeo factum discolor, ac strato flavo lymphae exsudatae et puris obtectum; ovaria quoque et tubae in simili strato recondita fuere; in cavo vero abdominis et praecipue pelvis circa octo unciae sterci flavo brunescentis, cum lympha consistente et pure mixti.

AEGER SEPTIMUS.

FEBRIS RHEUMATICO-NERVOSA CUM MILIARIBUS CRITICIS RETROGRADIS.

Ancilla, 18 annos nata, morbis non tentata, ante 12 dies i. e. 11. Januarii ex aëre perflante febrim rheu-

maticam sibi contraxit. Ex 4 diebus autem major delassatio, caput vertiginosum, susurrus aurium, nares et os siccae, abdomen meteoristicum, alvus diarrhoica; cutis modice calentis transpiratio amoena, pulsus moderate frequens; dolores hincinde per extremitates trahentes.

Quo statu ad nos delata emollientibus tractabatur et alterantibus non neglectis epispasticis. Inde symptomatibus adynamicis paullatim recedentibus pulsus elevatur et tenditur, lingua humescit, caput liberius, noctes tranquilliores evadunt, abdomen solum meteoristicum et diarrhoea remansere.

Die morbi 14, (25. Januarii) adparent miliaria alba, largissima, sub pulsu bene vigente, amoenaque diaphoresi, quae post 2 dies alvo diarrhoica 5 fluente subito disparent, unde mox caput tentatur, pulsus debiles fiunt, cutis siccescit, vires labuntur, abdomen meteoristice magis inflatur, verbo omnia valide exacerbantur. Ad Camphoram et Valerianam confugimus sinapismis simul in auxilium vocatis.

Die morbi 21. cuti quamvis sicca miliaria 2da. vice apparebant; alvum regularem, abdomen molle collapsum, pulsum debilissimum observavimus. Prioribus medicaminibus cortex jungitur et acid. sulf. dilutum, unde quamvis lentissime debilitas sensim cessat, pulsus elevatur et sana tandem die 2. Martii 1833, morbi totius 58 tract. 46 dimittitur.

AEGER OCTAVUS.

FEBRIS SUBINFLAMMATORIA CUM NISU IN ADYNAMIAM.

Femina, 20 annos nata textrix ante 3 hebdomades, i. e. initiante Februario febri corripitur rheumatica, cum dira cephalaea. Turgor et rubor faciei, calor molestus in capite, arteriarum temporalium micatus vividi atque membranae conjunctivae levis suffusio adplicatis ad tempora hirudinibus et propinato purgante dissipantur.

Post 8 dies denuo recruduit malum et de die in diem increscens aegram 21. Februarii nosocomium quaerere cogit, ubi praeter statum supra jam adductum, major pectoris oppressio et dolor cum tussicula sicca, pulsu pleno forti libero, menstrua alias large nunc parcissime fluentia nobis, non obstante cephalaea vertiginosa, naribus siccis, lingua praerubra, alv. 3 diarrhoica, venaesectionem unc. octo et Nitrum suasere. Hanc therapiam excepit universalis imminutio congestionum cum levamine et larga epistaxis recreans. Post plures autem dies susurrus aurium et vertigo, lingua praerubra, abdomen meteoristice expansum resonans cum alvo diarrhoica, decubitus neglectus instantem adynamiam indicant, cui vero conscientia plenaria, somnus quietus deliriis non interruptus, lingua humida, pulsus non debilis sed mollis hincinde fortis, epistaxis saepius recurrens sine subsequa debilitate contradicunt. Applicatis interea ad extremitates inferiores sinapismis ac Nitro cum Ipe-

cacuanha commutato, cerebrum a sanguine congesto liberatur, symptomata adynamica sensim decrescunt, sine ullis criseos in morbo non levi symptomatibus, remanente solum magna virium debilitate, cui roborantia lenissima cum fructu opposuimus, ita ut 15. Martii post morbi dies 44, tractaminis vero 23, sana dimitteretur.

Quamvis status hic inter activum et passivum fluctuans, longae hujus morbi durationi et therapiae antiphlogisticae tum extra nosocomium tum intra adplicatae, tum menstruis suppressis et aliis simul momentis individualibus adscribi possit; negari tamen nequit, regnantem mense Februario genium epidemicum, in febribus nervosis praesertim conspicuum, tam congestionibus ad interiora praecipue ad encephalon quam oriundo inde statui inter activum et adynamicum fluctuanti, multum favuisse. (Vide descriptionem Genii morb. epid. mens. Febr. 1832.)

AEGER NONUS.

SCARLATINA MILIARIS CUM SUBSEQUIS VARICELLIS.

Puella, 16 annorum, textrix, habitus scrofulosi, praeter pneumoniam anno praegresso superatam sana hucusque, 25$^{to.}$ Januarii, praegressa ex aliquot septimanis tussi, febri corripitur valida sine causa sufficiente nota, quam mox angina excipit non levis, nox tamen bona. Die altero tussis accedit, augetur morbus. Die tertio, ecce decrescentibus molestiis

praegressis, tota panni ad instar scarlatinosi injicitur cutis superficies rubedine digitum appressum cito fugiente, post remotum mox redeunte, pruriente.

Die morbi 4to. ad nos venit: valida febris inflammatoria cum angina gravi, scarlatina miliari laete florente, et pectore leviter affecto Nitrum sibi expostulabant. Die 7mo. scarlatina cum euphoria regulariter decurrens pallescere incepit; febris tamen non decrescens, imo eodem persistens tenore de hydropis activae accessu timorem nobis incutiebant, quare ad sales tartricos mitiores transivimus cum emollientibus decoctis; interea febris moderatior, bona et larga defurfuratio; accessus tamen febriles vespertinae paullo intensiores. — Die tandem morbi 14to. sub inexspectata febris exacerbatione, in cute colli pectoris et brachiorum prorumpunt noduli rari discreti, qui sensim lympha non repleti sed qua tales exsiccati, varicellas sistunt. Sequitur altera adhuc desquammatio; ast post dies 5 (bis erat et non leviter tentata cutis), facies incipit tumere, sudores et urinae parciores, pulsus citatior, calor auctus, tument pedes, abdomen fit pastosum, tussis increscit, ita ut mox hydropis anasarcae plenam imaginem haberemus, quam diligens emollientium, leniter solventium, salium tartricorum, et cum res lente procederet, Ononidis cum Lichene islandico, et Digitalis cum Scilla usus abegerunt; tarda fuit, in qua altera continuabatur desquamatio, reconvalescentia. Tandem 19. Aprilis sanam dimisimus.

AEGER DECIMUS.

PERITONITIS RHEUMATICA CUM CONGESTIONIBUS AD ENCEPHALON.

Serva, vicesimum secundum aetatis annum agens, vires per servitium strenuum perditas, spirituosis largius assumtis sat saepe restaurare studens, ante 2 annos enteritidem passa, 20. Martii ad nos delata est. Incepit ante 10 dies aegrotare, postquam fluentibus, quae pridie demum siluere mensibus, refrigerium admiserat: doloribus corripitur pungentibus, lacerantibus, ab initio fixis, dein super totum abdomen expansis, quibus, cum morbum celaret et frigida biberet, febris accessit sat valida cum dira cephalaea.

Exhibet nunc: continuos musculorum lusus, et manuum tremores, vocem balbutientem, acsi lingua laterali teneretur paralysi, thoracis concussiones quasi artus galvanico stimulo lacesserentur transitorias; utut instantium convulsionum prodroma, pulsus acceleratus non evolutus suppressus, encephalon calens, obfuscatio visus, faciei musculi continuo moti, oculorum bulbi per orbitas dispulsi, abdomen expansum, in toto ambitu summe dolens sub levissimo jam attactu; tota regio medullae spinalis sub forti pressione doloris expers, de nocte deliria et motus convulsivi. Ex hirudinibus retro aures et ad abdomen positis, cataplasmatibus et enematibus emollientibus, fomentis frigidis capiti adplicatis, emollientissimis vero internis levamen persensit aegra, ut abdomen attactum jam facilius ferret; ast capitis affectio cum mo-

tibus convulsivis increvit, loqucla hinc inde inter ccpta, lingua oblique porrecta; hinc cum alvus constanter segnis cssct, intcstina vero dc inflammatione non participarcnt, salcs mcdios ad unciam usque augcndos exhibuimus, adjungendo tandcm Sennam, ex quorum sufficiente cffcctu levamcn magnum. — Libcrato sic simul pcr cpispastica ct capite et cetero organismo, dc novo prorupuit, recedcntc scnsim malo priori, rheumatismus vagus, intcr sudorcs ubcrtim extricatos mox sanatus. Quac ex errorc diactctico reconvalcsccntiae supcrvcncre cholcrinac symptomata, aquac frigidac largo haustu ac pulveribus aerophoris mox abstersa sunt.

AEGER DECIMUS PRIMUS.

PLEUROPERIPNEUMONIA.

Serva, vigesimum nonum aetatis annum attingens, pcr totum vitac curriculum prospcra fruebatur valetudinc, usque ante scx dics i.c. 17. Martii lavandis occupata lintcaminibus, dum tota sudorc manarct, in pavimentum lapideum nudis currit pedibus, et capto sic refrigcrio mox valido percutitur horrore, quem calor excipit urens, accedentibus confestim tussi molcsta, dyspnoca, dolorc punctorio ad pectus dextrum. Accersitus post aliquot dies medicus venam tundit et hirudines ordinat.

Die 22. Martii, quae crat sexta morbi dics, in nosocomium dcportatur aegra. Summa spirandi diffi-

cultas, ut ne verbum proferre valeret; febrisque comitis vehementia phlebotomiae necessitatem dictant, cui praeter cataplasmata emollientia, medicamen nitratum et potum Hordei adjunximus, addendo simul pulveres ex Calomele et Digitali, ac serius hirudines ad thoracem dextrum. Vesperi febris exacerbata cum dyspnoea et dolore pungente. Nova venaesectio. Sub somno menstrua. Die subsequo, morbi octavo, levamen exiguum, respiratio sublimis, regio hepatis dolens, urinae profundius tinctae; hinc decem cruoris uncias iterum emisimus; levamen inde non tam insigne ut in genuina pneumonia, pulsus adhuc suppressus, profunda tamen inspiratio sine tussi et situs ad latera concessus, congestiones ad caput minores, circulus pacatior, sputa tenacia cruda, exasperatio vespertina fere nulla; quae omnia cum causa morbi collata pro indole morbi rheumatica et affecto inde et hepate loquebantur. Die subsequo, morbi 10. pulsus moderatior minor, lingua pura, cephalaea vix aliqua, urinae sedimentosae, minus tinctae quam hesternae; ob dolores tamen eminentes adhuc, hirudinum iterata est adplicatio, unde levamen. Die 11. morbi quaedam indicia criseos, sputa solvuntur cocta, cum levamine universali, tussis rarior, aegra quietior, hilarior, exacerbatio vix ulla. — Ab hoc tempore morbus quidem non increvit, sed perstabat diu circuli mobilitas, cum doloribus in thorace dextro fixis, quae omnia nec internus Hyosciami serius Digitalis usus, nec externe cataplasmata et vesicantia in subsidium vo-

cata penitus abstulerunt, ut de facta jam accretione cogitaremus. Interea tamen sensim sensimque omnia abstersimus symptomata morbosa, ita, ut post mensem tractationis sana dimitteretur.

AEGER DECIMUS SECUNDUS.

STRUMA.

Vir, 28 annos natus, temperamenti subphlegmatici, compagis magis laxae, habitus scrophulosi, colli tumidi, vocisque raucae, oneribus sat gravibus portandis assuetus, pneumonias in vitae suae curriculo duas sustulit, ceterum semper sanus. — Ex quibusdam jam annis lento passu intumuisse collum meminit, cujus crassities in tumorem deformem ab initio mollem dein subdurum elevabatur, accessit vocis non sat clarae debilitas et post dimidium annum notabilis respirandi difficultas, maxime noctu et inter graviores labores exacerbata, cum tussi frequenti et larga sputorum mucosorum ejectione.

Ex 3 hebdomadibus dolor auctus in pectore sub tussi, cum ad xenodochium accedere cogebant, quod sub statu vix enarrato intravit die 3. Decembris 1831. Tumidae glandulae thyreoideae consistentia erat subdura, elastica, forma subrotunda, moles autem visui minus palam, cum profundius penetraret, pueri adulti pugnam aequabat. — Curam orsi sumus die 6. Decembr. cum Spongia marina usta. Externe imposuimus tumori emplastrum mercuriale, Cicutae et

Meliloti ad partes anaticas compositum. Post 14 dies tumor quidem paullo emollitur externe, sed eadem adhuc versus oesophagum durities, quoddam sub deglutitione levamen, ast idem de nocte stertor sub somno, ut suffocatio instare videretur, vox anxia uti hominis circa gulam constricti, tussis vehemens quamvis pectore non dolente, vires dejectae, pulsus debiles, citati. Sat profunde penetrare tumorem ex eo conclusimus, quod sub levi ejus pressione fluidum aliquod ingurgitare nequiret. Ob exiguam quoque voluminis diminutionem, indolem ejus minus simplicem supposuimus; interea hirudinibus iteratim adplicatis, unguenti jodini inunctionibus, cataplasmatibus emollientibus impositis, et interno Aconiti usu morbum debellare studuimus. Tandem tumoris imminutio incepit, quam nos minus ac ejus propingui agnoscebamus, quippe qui aegrum rarius videntes omnes ejus mutationes clarius perceperunt. Cum mense Februario ejus congestiones ad superiora augerentur et pectoris oppressio cum tussi et sputis sanguinolentis, ac palpitatio cordis insolita accederet, respiratio abdominalis molestaque esset, pulsus citati, fortes tangerentur, alvus segnis et urinae profundius tinctae evaderent, statuta ob phthiscos timorem admodum limitata prognosi, et sepositis ceteris omnibus, antiphlogistice illum tractavimus, simulque per alvum laxiorem superiora liberare studuimus. Ast res in bonum vertebatur. Orta enim larga sputorum puriformium evacuatione, tumor in collo multum imminue-

batur, respiratio liberior facta de nocte non amplius intercepta, febricula cum tussi et sputis profligata, situs in latus utrumque concessus. Hinc vocatis, quae jam primo adhibita fuere remediis in auxilium, strumosa colli inflatio fere ex integro dissipata est. Quamobrem suspendimus dictorum solventium usum, illis substituendo et altilem diaetam, et dec. Lichenis islandici cum lacte. Ad agros dein proficiscens sub primis teporibus vernis ex integro convaluit, ut ex ejus matre compertum habuimus.

AEGER DECIMUS TERTIUS.

ECSTASIS RELIGIOSA.

Serva 26 annorum, Pragensis, hucusque sana, menstruis vero in ratione ad habitum corporis firmum, admodum parcis salutata, temperamenti melancholici, primo Octobris mane postquam necessariis emtis in ecclesia fuerat, domum rediens subito tanto dolore capitis afficitur, ut lectum petere cogeretur, ubi conscientia orbata diu decubuit.

Vesperi ad nos delata inconcinna diu vociferabatur; tandem post somnum reficientem redit conscientia, perstante eodem statu exaltationis, die altero expergefacta, statim preces alta voce modo singulari peragit; apertae aderant congestiones ad superiora; caute examinata fatebatur se quotidie ecclesiam frequentare, et nuper sanctam confessionem peregisse; sub ipso autem nostro examine subito conticuit, ne

verbulum proferens. Exhibuimus solutionem ex Tartari emetici granis duobus in decocto Graminis unciis octo cochleatim summendam; post horas aliquot novus supervenit insultus, sub quo mota mente vehementer clamat, locutionibus inconcinnis verbis mysticis gestisque variis adstantium attentionem excitat, qui tamen insultus adventu consueti illius sacerdotis subito interceptus, serius ubi ille abibat, eodem tenore continuavit, sub quo castissimam et sanctam virginem se praedicabat, ceteras aegras detestationibus et nominibus pessimis tractans, easque conspuens. Auctas sub hoc insultu ad encephalon congestiones, per hirudines repetitis vicibus capiti adplicatas, emulsionem communem pro potu exhibitam, et auctam Tartari emetici dosim ad grana quatuor pro colatura unciarum quatuor compescere studuimus, ipsam aegram inquietissimam lecto alligantes. Provocata sic cholera artificiali modica, aegra reliquam noctis partem quietius transegit. Die morbi tertio concinne quidem loquebatur, multa tamen celans, aliaque (uti e. g. habitum heri cum sacerdote colloquium) negans. Ob congestiones ad caput imminutas restrinximus Tartari emetici dosim ad grana duo. Post aliquot horas novus supervenit insultus minus vehemens, auctis tamen ad encephalon congestionibus, ut circumstantes non quidem conspueret, sed allocuta irasceretur, pulsus frequens, parvus. Hirudinum reiteravimus adplicationem. Continuavit tamen hic status per totam noctem, ideo, cum omne recusaret medicamen, vesicans nu-

chae impositum et plaga denudata unguento Basiliconis irritata fuit; tandem sensim sensimque rediit conscientia; post meridiem somnus reficiens sequebatur, caput minus vertiginosum, magis conspicuus Tartari emetici in organa digestionis effectus, cui igitur ad tollendas congestiones versus encephalon, pediluvia irritantia substituimus. Tandem nono die morbi et tractaminis dimisimus eam sanatam. — Nunc demum post morbi finem audivimus ab illa, quod hera, ob omissum vasculum argenteum, de servae probitate dubia moverit, cui accessit nuntium de patris morte subito acceptum, quibus omnibus haec valde commota animo fuit.

AEGER DECIMUS QUARTUS.

PLEUROPERIPNEUMONIA.

Sodalis scriniarius, 19 annorum, habitus subphthisici, sanus caeteroquin, 18$^{vo.}$ Aprilis incepit sine causa sufficiente cognita male se habere; praevio enim horrore ac aestu pectus opprimitur, simul cum lateris dextri doloribus punctoriis; accedit tussis cum sputis sanguinolentis, quia vero aeger continuo in pejus ruebat, nosocomium adiit.

Die 21$^{mo.}$ Aprilis, morbi 4$^{to.}$ accepimus aegrum: Facies turgens rubens, pulsus modice frequens, major, plenus, tensus, lingua parum obducta, pectus oppressum, thorax dexter minus expanditur sub inspirio profundo; sputa sanguine intime nupta. In-

stituimus venaesectionem ad uncias octo; cataplasmata pectori imposuimus emollientia, exhibendo simul pro medicamine dtum. emolliens cum Nitro et oxym. simpl.; et pro potu dtum. Hordei cum oxymelle simplice affatim bibendum. Die altero morbi quinto, cum pectus magis opprimeretur, auximus Nitri dosim ad drachmam, et venaesectionem iteravimus ad uncias octo. Crusta pleuritica notabilis, serum vix ullum; nox subsequa inquieta. Die tractaminis tertio, morbi sexto, eadem scena, paullulum remittente cephalaea; cutis in sudorem acta; hinc tertia sanguinis missio ad unc. octo, et cum post meridiem morbus eodem tenore perstaret, oppressio pectoris augeretur, respiratio difficilis esset et citata, tussis brevis cum sputis croceis, octo denuo cruoris uncias emisimus; serum fere nullum. Die subsequo morbi septimo, pulsus plenus fortis non liber sine expansione, congestiones ad caput minores; thorax dexter nondum bene expansus fere immobilis, respiratio abdominalis, hinc quintam instituimus venaesectionem ad unc. octo, unde euphoria vespertina; recrudescentes de nocte dolores pungentes in thorace dextro hirudinum octo adplicationem efflagitavere. Die morbi 8vo. tractaminis 5to. calor major, cutis mollis sudans, pulsus fortis plenus modice frequens; respiratio abdominalis adhuc pectore immobili, dolores pungentes thoracis vehementes, caput liberum. Sub his circumstantiis cum symptomata pleuritidis eminerent prae illis pneumoniae, abstinuimus adhuc a venaesectione, reiterando adpli-

cationem hirudinum et exhibentes simul Calomelis et pulv. fol. Digitalis purp. āā granum semis omni trihorio, praeterea vesicans ad pectus. Die morbi nono respiratio tremula sublimis multum citata; sub inspirio profundo dolor sub sterno et pectoris oppressio et tussis frequens cum doloribus pungentibus thoracis caput quidquam tentatum, somnolentia continua, abdomen parum resonans, urinae largae profundius tinctae turbidae, cutis modice calens mollis transpirans, pulsus modice frequens fortis aequalis plenior. Cum igitur inflammatio pulmonum gradus altioris ad illam pleurae accessisset, imminente et jam incipiente crisi, hanc allevandam esse censuimus, hinc quamvis jam 40 unciae sanguinis exceptis hirudinibus 20 missae fuissent, tamen cum morbus exigeret, venaesectio iterum erat instituenda ad unc. octo. Factam venaesectionem excepit levamen perstans, pulsus mollior, in sanguine misso crusta pleuritica adhuc sat notabilis et firmus cruor deficiente fere sero, inspiratio melior profundior, nox quietior; post 3 dies jam extra lectum versatus aeger de nihilo conquerebatur quam de ulcusculis aphthosis in lingua ex usu Calomelis, hinc continuavimus solum in emollientibus. — Ab hoc tempore reconvalescentia lente decurrebat, debilitas magna fuit, pulsus semper quidquam concitatus, latus dextrum sub inspirio profundo adhuc haerens. Interrupta fuit haec reconvalescentia primo post 8 dies per plenariam aphoniam, quam do-

lor ad laryngem et tussis antecessit, quae vero post dies aliquot per vesicans laryngi impositum mox dispulsa fuit, et ultimo supervenit febricula cum pulsu tenso, cui primo Digitalem et cum pectus opprimeretur, venaesectionem unc. sex opposuimus; remansit tamen per aliquot dies adhuc morbosus cutis calor, pulsus citatus et tussis matutina. Tandem afebrilem, sanatum dimisimus die morbi 35. tractaminis 31.

Eminet in morbo hoc gravissimo et pertinacissimo, crisis manifestae defectus qualis decurrente hoc anno non raro observatus est.

Uti in hoc casu sic et in aliis observatum fuit, in aegris cute laxiori instructis inflammationem pulmonum saepius saepiusque de novo excandescere, et haud raro in malam verti partem.

AEGER DECIMUS QUINTUS.

APOPLEXIA SEU STADIUM CHOLERAE CONGESTIVUM.

Sartor, 38 annorum, Viennensis, nunc in spirituosorum officina servus, 22. Maji ad nos defertur capta mente, ubi ejus uxor haec refert: Cholera ante aliquot (8) dies correptus et feliciter sanatus, bene se habuit per quosdam dies, quo tempore subito furibundus factus neminem novit. Circa spirituosorum abusum examinata constanter negavit, illum unquam bibonem fuisse, nec his diebus vinum hausisse; et erat quoque, ut ex formulis medica-

minum patuit, Opii sub cholera usus satis restrictus.

Vidimus aegrum staturae longae, constitutionis robustae, capillitio nigro, soporose decumbentem, difficulter suscitandum, ubi tamen, quamvis cum magna difficultate, apte respondebat in soporem mox relabens, resuscitatus vero statim furere incepit; hinc lecto alligatus; tota facies rubuit scarlatinose, imo et capillitii cutis, albugineae vascula extrema injecta, muci puriformis in palpebris secretio, (qua ophthalmia ex annis jam laboraverat) caput modice calens, lingua praerubra sicca muco flavescente in medio quidquam obducta, sitis magna, pulsus modice frequentes non tensi non tamen liberi. Vesicans nuchae et frigida fomenta capiti imposuimus, hirudines octo ad tempora, interne vero purgans salinum exhibitum fuit. Nox inquieta. Die altero, morbi 5$^{to.}$ pulsus plenior frequentior, carotides fortiter pulsantes; aperta majorum congestionum signa; hinc hirudinum adplicationem reiteravimus; capiti nunc abraso glaciem imponentes; interne praeter infusum ex floribus Arnicae cum Senna, Tartarum emeticum ad gr. sex exhibuimus. Sumtis Tartari stibiati granis 10 nullus effectus insequebatur, nox inquietissima. Die altero, morbi 6$^{to.}$ alvus ter viridicans, extremitatum frigus; pulsus contractus, parvus; sopor continuus. Junximus cum Arnica Valerianam, et vesicantibus excruciavimus aegrum. Nulla reactio et circa vesperam soporosa mors, morbi die 6$^{to.}$ tractaminis 3$^{tio.}$ — Quae

jam extra vidimus in cute capitis, haec quoque per sectionem deteximus in cerebro, minima scilicet vascula per omnem ejus substantiam injecta.

Incidebat haec apoplexia in tempus, quo ubique congestiones ad superiora eminebant, (i. e. ex duobiis circiter hebdomadibus) vel sub forma apoplexiae, vel cephalaeae vel anginae, quae tum temporis frequentissima fuit, vel laryngitidis.

AEGER DECIMUS SEXTUS.

COLICA SATURNINA CUM SUPERVENIENTE PARESI.

Opifex pigmentarius annorum triginta, qui ter jam superaverat colicam saturninam, post diuturniorem ultima hieme occupationem cum coloribus cerussam continentibus, alvo adstrictiore, ardore circa umbilicum, sensu ponderis in abdomine et inconsueto animi moerore laborare coepit. 11. April. derepente diarrhoea excedente cum summis ad umbilicum doloribus, attractione dolorifica testiculorum invaditur, quibus vomitus frequens biliosus associatur. Morbus per 8 dies remediis diversis domesticis frustra tractatus per pulsum quoad frequentiam normalem caeterum contractum durum, filum ferreum aemulantem, per regionem epigastricam et umbilicalem valdopere ad attactum dolentem, per saporem fatuum, limosum, linguam parum muco albo obductam, per dentes spurcos, gingivas retractas limbo griseo caerulescente notatas sese manifestavit. Ad haec accessere adspectus

alienus truculentus et concussiones quasi electricae musculorum abdominalium.

Ordinabantur 19. April vesperi adlato aegro cataplasmata emoll. enemata oleosa omni bihor. injicienda, emulsum spurium ac omni trihor. Opii quarta grani pars. Versus diluculum 20. Aprilis aeger convellitur. Convulsiones sui non conscii omnis fere generis. Exhibentur mixtura oleosa et pulveres ex grano Calomelis et octava parte gr. Opii constantes, alternatim omni hora summendi, imponuntur hirud. decem regioni umbilicali, fluxus sanguinis per cataplasmata emollientia sustinetur. Serius aeger balneo universali tepido immittitur. Hisce adhibitis imminuebantur convulsiones augebantur vero denuo, ubi postero die consumtis 18 granis Calomelis diarrhoea effrenis exoriretur. Camphora Opii dosibus exiguis juncta et alvi depositionibus frequentibus, et convulsionibus et doloribus in abdomine opem desideratam tulit. Aeger successive penitus ad se rediens solum leves in abdomine dolores lancinantes accusavit et pulsum majorem et validiorem nec non cutis conditionem plane normalem exhibuit, extremitatem superiorem dextram immobilem sensit. Postquam dolores in abdomine fere penitus abacti essent, paresin, interne porrecto sulphure, et externe adhibitis balneis universalibus simplicibus, vesicante intra scapulas posito, sinapismis brachium in morem annulorum cingentibus, lotione brachii cum spiritu camphorato tinct. cantharidum juncto inunctione liniment. volat. camphorat. adgressi sumus. Ef-

fectus votis respondebat. Aeger 45. morb. die 37 tract. sanus dimissus est.

AEGER DECIMUS SEPTIMUS.

DELIRIUM POTATORUM CUM PNEUMONIA.

Praeceptor, 30 annos natus, constitutionis firmae, habitus apoplectici, spirituosorum inprimis cremati usui nimis indulgens, hucusque sanus, 15. Aprilis post solito majorem cerevisiae copiam ingestam, cui ob singultum cremati libram semis superinfundebat oppressum pectus sentit et respirationem difficilem, oritur tussis cum sputis sanguine tinctis.

Vesperi ad nosocomium delatus facie turguit et rubuit, exhibuitque pectus multum oppressum, laboriosam respirationem, tussim cum sputis croceis, regionem hepatis sub attactu dolorificam, dolores pungentes in humero dextro. Pulsus erant frequentes fortes duri. Hinc ex vena pertusa 8 cruoris uncias emisimus, exhibentes simul mixturam nitratam, dct. Hordei cum oxymelle simpl. et cataplasmata emollientia. Die altero 17. Aprilis mane ob levamen non sufficiens secundam instituimus venaesectionem, ad uncias octo. Ad vesperum hujus diei pectoris oppressio quasi dissipata, tussis nulla, sputa nullo sanguine amplius tincta, ast caput multum calens, simulque mens vacillans, ut inconcinna multa proferret; de nocte accessere deliria vivacia, aucto sanguinis ad encephalon adfluxu, extremitatum tremores. Ordi-

natae duodecim hirudines ad tempora sunt, quae autem ob aegri inquietudinem non potuerant adplicari. Versus auroram prioris affectionis signa nulla, verum deliria vivacia continua, continui tremores extremitatum, et pulsus parvus collapsus. Hirudines temporibus adplicari, vesicans nuchae imponi concessit. Cum autem vesperi deliria increscentia ferocia evaderent, epithemata frigida capiti imponebamus, et Tart. emeticum pro medicamine et emulsum cum nitro pro potu exhibuimus. Nox inquieta deliriis transacta. Post aliquot dies mitescere deliria incepere, dein etiam lucidis intervallis distingui, noctes parumper dormiendo transactae, ast pectus magis iterum oppressum cum tussicula sicca novam venaesectionem dictabant, et reliqua antiphlogistica, in sanguine misso crusta inflammatoria sat crassa. Liberato sic encephalo et pulmonibus conscientia rediit, tandemque apta et concinna loqui, et ex immodica garrulitate in silentium transire incepit; eodem tempore prorupuere in dorso cum euphoria frequentia miliaria critica. Totam denique malorum seriem claudebant brachii sinistri, inprimis articulationum dolores, cum denegata harum partium mobilitate, quos iterata saepius hirudinum, sinapismorum, vesicantium, balneorum cum sinape et linimenti volatilis adplicatione sensim profligavimus, tandem post 2 menses sanum dimisimus.

AEGER DECIMUS OCTAVUS.

LARYNGIS ET TRACHEAE INFLAMMATIO CUM SUPERVENIENTE URTICARIA.

Puer, 8 annorum, constitutionis tenerae, habitus subphthisici, gravi quodam pectoris morbo in quo hirudines ipsi 25 adplicabantur ante 3 jam annos, simulque elapso anno angina vehementissima tracheali, per venaesectionem cito sanata, tentatus in praesentem incidit ante 10 dies morbum, cui paucis diebus antea soror occubuerat.

Manca admodum erant responsa, quae summis doloribus impeditus aeger 22. Maji, quo illum accepimus, nobis comunicare potuit: Tota facies turgida rubuit, respiratio erat citata, anxia, sibilans, thorace immobili peracta, tussicula brevi, rauca, canina cum summis doloribus et sensu arrosionis interrupta, sputa pauca mucosa, cutis mollis parum magis calens, pulsus modice citatus parvus tensus. Post applicatas hirudines octo circa laryngem et secundum tracheae situm pulsus liberior factus ac validior, et dolores distinctiores in regione laryngis et tracheae persentiebantur, sub pressione et deglutitione aucti; fauces tonsillae et palatum molle parum rubebant; ipsa respiratio fuit pacata, minime suffocativa. Hirudinum octo adplicationem reiteravimus, unguentum simul cinereum et commune ad partes anaticas utrique colli lateri inungendo, insuper cataplasmata emollientia imposuimus; praeterea mixturam oleosam et quar-

tam grani partem porreximus Calomelis omni bihorio; unde tussis sub ejectione sputorum globosorum puriformium mitigata, minus sibilans, febris vero pacatior evadebat. Cum tamen respiratio ob impedimentum ibi in larynge haerens expedita non adhuc esset, vesicans apposuimus pectori ad regionem bifurcationis trachaeae unde tussis de nocte rarior minus dolorifica, sputa figurata globosa facile ejicienda, caput liberius, facies minus rubens potius pallescens, dolores sub attactu colli nulli amplius, nec ulla tussis sub inspirio profundo provocanda. Quae omnia nos invitarunt ad seponendos pulveres, inunctiones, cataplasmata, et exhibendum Tart. emet. refr. dosi. Quod vero die morbi 14 jam sub morbi decremento in cute prorupuit exanthema urticatum regnanti potius tum temporis undique genio gastrico adscribendum putamus, quam molimınibus naturae criticis. Sanum dimisimus puerum decimo nono Junii.

AEGER DECIMUS NONUS.

SCARLATINAE ANOMALAE MALA POSTHUMA.

Juvenis, 18 annorum, sub initio Februarii anni 1832, ut nobis relatum fuit scarlatina corripitur anomala, cui scilicet tam angina quam efflorescentia manifesta et desquamatio deerant, ex qua 7 fratres et sorores simul decumbentes optime convaluerant. Ab eo tempore valetudinarius 7. Aprilis et diebus se-

quentibus frigore corripitur aestu cephalea vertigine delassatione magna, quae cum ad lectum figunt, conscientia per vices abolita. Die 10. Aprilis ad nos defertur: Aspectus erat stupidus, uti anoetici, caput multum tentatum, mens vacillans, et inprimis memoria multum labefactata aderant praeterea vertigo, susurrus aurium, baryecoia intensa, deliria continuo murmurantia, pupilla dilatata, conjunctivae vasa injecta, labia sicca, lingua humida muco ex albo brunescente obducta, tussis levis sicca, abdomen expansum resonans, cutis sicca, pulsus citatus debilis sub pressione evanescens, subsultus tendinum, alvus nulla flatus copiosi secedentes, urinae biliosae, exacerbatio vespertina, remissio matutina. Cum encephalon sanguine multum obrutum videremus et non injustam de evolvendo hydrope ventriculorum cerebri suspicionem foveremus, applicavimus hirudines octo retro aures, nuchae imponendo vesicans, interne vero dtum. emolliens cum sale mir. Glauberi exhibuimus. Conscientia inde liberior facta, sequebantur responsiones aptiores, facies hilarior, loquela magis expedita, oculorum conjunctiva minus injecta, alvus faeculenta. Ast post dies aliquot, sub quibus liberato sensim encephalo symptomata adynamiae recessere, major evolvebatur pectoris oppressio, respiratio stertorosa evasit, et accessit tussis frequens cum sputis tenacibus; hinc ut a pulmonibus sanguine obrutis imminens arceamus malum gravius, sanguinis instituimus missionem ad unc. quatuor, simulque oxymel Scyllae

medicamini addidimus, non ignorantes morbi in hydropem activum nisum. Pectus inde penitus liberatum, ast jam post paucos dies urinae parciores, quamvis bene tinctae, pedes pastosi serius tumentes, facies inflata, tota cutis iners pastacea, quibus adhuc decubitus miseriae accessere. Debellato per Digitalem et balnea hydrope cutaneo, superstitem cum virium sat magna prostratione emaciationem adgressi exhibuimus dti. Bardanae et Dulcamarae $\overline{aa}$ libram pro potu, et dtum. Althaeae ac Polygalae amarae $\overline{aa}$ lib. semis cum syrupo Ononidis spinosae pro medicamine. Erat tamen tarda reconvalescentia, congestionibus tum ad caput tum ad pectus saepe interrupta, quas ultro oborta epistaxis non raro dissipavit; serius dtum. Taraxaci et dein dtum. Chinae et Salep plenariam virium restituebant harmoniam. Tandem sub medio Junii sanus dimittebatur.

Morbi hujus ultra 4 menses duratio in juvene quamvis robusto vegeto, iterum probavit; diuturna esse et periculo plena mala, quae scarlatina anomala pedissequa habet.

AEGER VICESIMUS.

MYOSITIS TRAUMATICA IN CRURE DEXTRO.

Calceolarius 19 annorum, cui semper amica arrisit salus, mense Septembri anni 1831 ex lapsu tumorem sibi contraxit in regione inquinali dextra elasticum, sub usu emollientium externorum aperte fluc-

tuantem in superficie, liberum sub eundo motum coercentem; cum tamen neglexit per 6 menses, usque dum cohibita prorsus hujus partis mobilitas illum cogebant ad nosocomium fugere, quod sub initio Martii hujus anni intravit:

Nulla aderant psoitidis praegressae signa, aperta fluctuatio sentiebatur in tumore; hinc externe fasciis constrinximus femur, ut per pressionem aequalem augeatur resorptio, ac interne diapnoica junximus cum resorbentibus; cui scopo adhibuimus praeparata Scyllae, Digitalis, Antimonii, Mercurii, praeterea similia quoque externe applicavimus; hirudines saepe saepius adposuimus, et cataplasmata tum emollientia, tum cum sinapi mixta. Nihilominus tumor lente increvit mole et dolores intensiores ad medium cruris se extendebant ad trochanterem usque magnum pertingentes; pedis movendi libertas non concessa. Cum igitur status inflammatorius adhuc perduraret cum secretione, continuavimus quoque in antiphlogisticis, emollientibus resorbentibus, ex et internis; et ob urinarum copiam exiguam exhibuimus. Cali carbonicum aceto Scyllae saturatum in dto. Ononidis; praeterea pulveres Scyllae cum Sulfure aurato Antimonii junctos; unguentum cinereum et Digitalis circa tumorem infricandum; cucurbitas scarificatas autem circa tumorem applicavimus. Tumor inde non imminutus, dolor vero multum remisit, et pedis quaedam mobilitas concessa, ut extra lectum tamen versare posset; continuavimus igitur studiose in therapia in-

cepta; usque totus tumor, abscessus lymphatici superficialis ad modum, molliter fluctuabat; ubi dein cultro illum aperuimus. Tumor vero, non obstante magna, quae evacuabatur ichoris copia, eodem fere perstabat ambitu. Intercurrens febris valida inflammatoria pro tempore suspendebat omnem medicaminum intensiorum adplicationem, qua depulsa ad balnea simplicia confugimus; enormis inde mutatio, nam crura sibi fere aequalia facta, dolores multum imminuti, mobilitas pedis eo usque restituta, ut solus lectum conscendere valeret. Continuatis balneis applicatis denuo hirudinibus et inunctionibus ex linimento volatili, integra tandem restituebatur pedis mobilitas, ut sanus post 3 menses tractaminis nosocomium desereret, qui de salute integra recuperanda jam desperaverat.

AEGER VICESIMUS PRIMUS.

DELIRIUM CUM TREMORIBUS.

Sutor, 53 annos natus, strenuus cremati potator, praeter febrim intermittentem, quae per dimidium annum illum affligebat, jam quater hoc anno (1832) tremoribus laboravit. Die 14. Junii ad nos portatus sequentem exhibuit imaginem: Taciturnus jacuit, inquietissimus tamen, caput huc et illuc vertens, dum vultus musculi convulsivo quasi modo distrahebantur; extremitatum tremores continui, validi; caput calens citra normam; lingua muco crasso obducta; ab-

domen expansum tensum; totum corpus foetore nares feriebat, qui muribus proprius est; pulsus admodum parvus; urinae missae largae, profundius tinctae, turbidae. Nox sub sudore copioso inquieta fuit, insomniis vivacibus interrupta. Propinatis tribus Tartari emetici granis in decocto Graminis, quod serius cum dto. Taraxaci permutabatur, et vesicante nuchae applicato, morbus minime cessit, imo malo sub die altero et subsequentibus ad majorem gradum evoluto, aeger continuam inquietudinem, animalculorum deprehensiones, phantasmatum lusus, sonorum, qui non adfuere, perceptionem continuam, surgendi et aufugiendi conamina obtulit; hinc lecto alligatus est; ad interrogata tamen apte respondens confitebatur ridens excedentem in crematum amorem. Praeter medicamen continuatum, ex quo vomitus non sequebatur, duo iterum vesicantia retro aures adhibuimus: post dies aliquot noctesque delirando et tremendo transactos, tranquillior factus est, noctes quieto somno transigens; aspectus liberior factus, actiones incongruae nullae, pulsus multum quietior, normalis, vertigo minor, abdomen expansum adhuc, urinae ad libras sedecim de die missae. Ultimo habuit dtum. Trifolii fibrini. Tandem post dies morbi et tractaminis 27 sanus dimittebatur, postquam ex cremati libris duabus clam ab uxore illi adportatis crapulam sibi contraxerat.

AEGER VICESIMUS SECUNDUS.

PLEUROPNEUMONIA ET HEPATITIS.

Tornator sodalis 29 annorum in Borussia natus, per totum vitae curriculum prospera fruens valetudine incepit sine causa nota (nisi fors ex ira qua comotus fuit) die 30. Maji praevio horrore solemni calere et sudare cum insigni prostratione virium pectore sinistro simul oppresso et dolente sub tussi, quae frequens fuit. Die morbi altero haec augebantur ad eum gradum, ut loquela fere interciperetur; accessit simul vomitus biliosus. Venaesectio instituta fuit ad libram; nox inquieta delirando transacta. Die morbi tertio exiguum in pectore levamen, vomitus et diarrhoea, nox deliriis turbata. Die morbi quarto silentibus per vomitum et alvum evacuationibus in pejus ruebat status; exacerbatio vehemens, et nox iterum sub sensuum confusione inquieta fuit; die morbi quinto cum res in pejus rueret, secunda venaesectio ad libram facta, et aeger ad nos delatus est.

Agnovimus pleuropneumoniam cum hepatitide, et igitur praemissa phlebotomia (tertia) ad uncias octo, decoctis solventibus eccoproticis nitrosis et simili potu affatim hauriendo, praeterea sinapismo thoraci sinistro imposito et cataplasmatibus emollientibus incendium morbosum temperare studuimus. Sanguinis missionem levamen excepit; crusta inflammatoria sat crassa obtegebat cruorem contractum firmum, qui uti et serum flavescebat; nox minus inquieta, sine

deliriis. Die morbi 6$^{to.}$ et 7$^{mo.}$ levamen, nam cum minori jam animam reciprocare valuit difficultate; tota cutis flavescebat, sputa flava, quasi bile tincta, urinae largae ictericeae turbidae, pulsus duriusculus adhuc, post inspirium profundum tussis haerente latere dextro, regio lobi hepatis sinistri dolebat. Die morbi 10$^{mo.}$ post validam exacerbationem symptomatum omnium prorupuere miliaria, morbus tamen inde non minor factus, imo hepatis regio magis dolens tumensque hirudinum applicationem ad hanc regionem efflagitavit. Die morbi 11$^{mo.}$ post noctem insomnem respiratio magis anxia fuit, et expectoratio difficilis sub tussi frequentiori, pulsus sat citatus plenus tensus sine magna tamen energia, urinae turbidae absque sedimento, cutis flaccida laxa. Quamvis igitur quaedam essent, quae sanguinis missioni contradicebant, ad sublevandam tamen crisim instantem instituimus venaesectionem (quartam) ad uncias octo, continuantes simul in dto. Graminis cum liquore terr. fol. Tart. et pulpa prunorum $\overline{aa}$ unc. semis, Nitrum purum, et Digitalim ad granum p. d. omni bihorio in pulvere exhibuimus, timentes a Calomele ob magnam cutis laxitatem et signa quaedam debilitatis.

Phlebotomiam excepit levamen magnum, tam quoad objectiva, quam quoad subjectiva; crusta inflammatoria ad tres lineas crassa; caput liberius, symptomata pectoralia et praecipue biliosa multum imminuta. Die morbi 14$^{to.}$ tandem apertum morbi decrementum recedentibus multum symptomatibus bilio-

sis; febris scilicet multo minor, color minus flavicans in facie et praesertim in oculis, lingua purior, sub inspirio profundo nullus dolor; praeterea crisis quaedam obtinuit per sudorem largum universalem, urinas minus tinctas, largissimas (libras 12) cum sedimento quasi puriformi, et alvum faeculentam; quae omnia per plures dies non interrupta continuabantur serie, tussis solum frequens sicca cum sputis tenacibus remansit; hinc sepositis Digitali, nitrosis et solventibus eccoproticis, ad Lichenem islandicum confugimus sub cujus usu lysis quoque per sputa mucosa crassa larga tenacia obtinuit, et sanus tandem post dies morbi 51, tractaminis 47 dimittebatur.

Luculentiorem quam in hoc casu vidimus crisim, qualem ex longo jam tempore desideravimus, individuo potius firmo morbis non adhuc tentato, et ipsius morbi duplicati vehementiae auctae adscribendum esse putamus, quam genio magis in inflammationes nitenti.

AEGER VICESIMUS TERTIUS.

CARDITIS ACCEDENS PHTHISI PULMONALI ET HYDROTHORACI, CUM SUPERVENIENTE CHOLERA.

Femina 45 annorum, praeter haemorrhagias uteri chronicas, ad quas sistendas tincturam. Cinamomi cochleatim omni fere die ingessit vino insuper indulgens, phthisi et hydrothorace diu jam contaminata, novitus capto forti refrigerio incepit aegrotare; op-

pressio scilicet in pectore et praecordiis magna unde post 14 dies i. e. 9. Augusti nosocomium petiit.

Magna erat totius pectoris sinistri, sed inprimis regionis praecordialis oppressio cum molesta sensatione angoris, decubitus in latus sinistrum thoracis denegatus ob majorem oppressionem et productum cardiopalmum; hocce latus thoracis vix mobile sub respirio tussicula sicca, pulsus minus frequens ac cetero statui conveniret, tensus; ictus cordis non correspondentes cum pulsu undulatorio.

Adplicatis ad regionem cordis hirudinibus octo et exhibita mixtura nitrosa alternatim cum pulveribus Digitalis purpureae ad granum semis p. d., cui tertiam grani partem Calomelis post aliquos dies addidimus febris quidem mitigabatur; sed post paucos dies animi pathematibus pluribus divexata a rixante marito paratis febris flamma accensa; respiratio enim magis intercepta, motus cordis inquietior, cum pulsu irregulari non concordans, et sensatio continua impedimenti circa cor; hinc hirudines iterum octo ad anum positae unde respiratio magis pacata fuit; sed pulsus frequentior fortior tensus mansit; hinc venam ad unc. sex secuimus, et vesicans magnum ad cordis regioni posuimus. Misso sanguine, qui crustam pleuriticam densam habuit, praevalénte tamen sero prae cruore, levamen nullum subitaneum, serius tamen respiratio melior et cardio-palmus minus vehemens fuit ac heri minusque extensus. Post dies tractaminis 14, morbi 28 subito de nocte vomitus exortus cum

diarrhoea effreni profusa; accessere spasticae contractiones in extremitatibus, ita ut brevi tempore cholera epidemica plenarie evolveretur et post 24 horas aegra obiret, auctis molestiis praecordialibus; non obstantibus aplicatis primo statim momento omnibus, quae congrua visa sunt.

Secto cadavere invenimus in cavo thoracis sinistro seri libras tres, in dextro uncias tres; pulmones erant oedematosi; sinister a sero compressus inperspirabilis; dexter suppurans; cor magnum cum pericardio fere ubique concretum; ejus substantia quasi cocta, friabilis; intestinorum tunica villosa eminentiis numerosis obsita.

AEGER VICESIMUS QUARTUS.

PLEUROPERIPNEUMONIA.

Operarius, sexagesimum secundum agens annum, pneumoniis saepius jam et nuper cholera correptus, 29. Junii subito febrit, thorace sinistro acute dolente; hinc se in nosocomium transferri curavit.

Dolor acutissimas latus sinistrum tenebat, cum spiritu summe laborioso, tussicula cum sputis croceis; aderant simul lingua albida; vomiturititiones; regio hepatis tumens et sub attactu dolens; febris multa. Octo cruoris uncias emisimus ex brachio sinistro, propinantes simul nitrosa cum eccoproticis juncta et dtum. Hordei cum oxymelle simplici affatim bibendum; praeterea cataplasmata emollientia pectori im-

posuimus. Emisso cruore admodum spisso, et alvo deposita ter flavicante, euphoria sequuta est universalis nihilominus justam morbi adeo gravis in sene metuentes crisim erroneam, vespertina sub exacerbatione alteram instituimus sanguinis missionem ad uncias octo; sanguis crassus sine ullo fere sero; febris multum deferbuit, simul cum malo locali; ast levamen hoc fallax morbus enim, qui mane fractus videbatur, vesperi tantam celebravit exacerbationem, ut minans suffocatio tertiam dictaret sanguinis depletionem universalem ad uncias sex; evacuato sic cruore admodum firmo, febris decrevit remanentibus tamen, praeter pectoris angustias, cum sputis crassis flavicantibus, viscerum abdominalium infarctibus; hinc Tartarum emeticum refr. dosi, et extractum Graminis junximus cum mixtura nitrosa. Afebriles pectoris angores vesicans illi impositum abstulit. Morbi decrescentis decursus et reconvalescentia nunc tussi, nunc dolore, nunc oppressione pectoris cum sputis cruentis, sat saepe sine causa certa interrumpebatur, ut de latente vomica suspicio supprimi non posset. Tandem 12. Augusti, die morbi 45to. sanum dimisimus.

AEGER VICESIMUS QUINTUS.

HAEMOPTOE ACTIVA.

Operarius, 27mum. aetatis agens annum, vir plethoricus constitutionis tamen minus firmae, multas easque gravissimas jam passus pneumonorrhagias, 2da.

Septembris h. a. subito, sine causa sufficiente nota, tussiendo sanguinem ore rejicit. Minus ab illo aestimata haec pneumonorrhagia, post quatuor dies eum vehementia rediens eum ad nosocomium pellit.

Cum non obstante venaesectione unciarum octo sanguinem continuo spueret, et pulsus contractus esset; denuo, ad uncias sex misimus cruorem exhibentes simul infusum Digitalis cum Nitro; levamen fere nullum; imo nocte iterum sanguinem rejecit atrum largissimum. Venaesectionum malus effectus, et casus extremus, extrema sibi postulavit; hinc fomenta frigida pectori imposita; interne vero praeter Digitalim in pulvere, seri lactis libram exhibuimus cum aluminis crudi granis sex. Effectus inde egregius, inspiratio profundissima concessa absque tussi, sputa inter 24 horas duo solum ejecta sanguine tincta diuresis ingens ad libras viginti. Propulsa mox febricula sanus domum rediit, morbi die 10mo. tractaminis 6to. — Annon in sputo sanguinis venoso, stiptica praeferenda sunt, quae in arterioso nocerent?

AEGER VICESIMUS SEXTUS.

DELIRIUM CUM TREMORIBUS IN APOPLEXIAM SEROSAM TERMINATUM.

Equorum custos quadragenarius, vir torosus, strenuus spirituosorum potator sanus hucusque vixit, exceptis tremoribus extremitatum, qui ab anno dimidio illum obsedebant.

Ante 4 dies vino et cremato nimis indulgens post noctem, profundissimo somno transactam e lecto egressus vertigine et animi deliquio corripitur ut subito concideret soporose jacens; post horam tamen ad se redicens, consueta peregit officia; vesperi majorem iterum vini ingessit copiam; nox insomnis; die altero tremores multum aucti erant nox sub deliriis vivacibus transacta; hinc die morbi quarto, 11 Septembris ad nosocomium portabatur:

Caput et facies turgebant oculorum vasa minima injecta, continua deliria vivacia, inquietudo corporis animique summa, abdomen grande alvus segnis, tremores extremitatum exorbitantes. Applicatis 12 ad tempora et retro aures hirudinibus, potionem laxantem propinavimus, unde alvus larga faeculenta, praeterea Tartarum emeticum ad grana duo in dto. Graminis, potum Limonadae; ast post noctem summe inquietam, mane subita mors.

In secto cadavere cerebri ejusque meningum vasa sanguine vacua detecta sunt; intra meninges et in ventriculis cerebri major quantitas seri grisei limpidi accumulata fuit; ipsa substantia cerebri pastacea fuit; serum continens; eadem quoque erat conditio membranarum medullae spinalis; et ipsius medullae; pulmones sanguine obruti numerosis tuberculis pertexti.

AEGER VICESIMUS SEPTIMUS.

PARALYSIS LATERIS DEXTRI; DEIN CHOLERA EPIDEMICA; DEIN ANASARCA.

Juvenis 26tum. agens aetatis annum, robustus, conficiendis pileis operam navans, capto probabiliter refrigerio, paralysi lateris dextri afficitur, quam instituta mox venaesectio et vesicans applicatum non corrigunt hinc 18. Julii ad nosocomium defertur.

Vox erat ablata, oris angulus dexter distractus, lingua oblique porrigebatur, brachium dextrum minus sentiens minusque forte, pulsus plenus fortis tensus afebrilis. Praeter cucurbitas duodecim cum scarificatione positas pone spinam dorsalem, et vesicans perpetuum secundum longitudinem columnae vertebralis applicatum, Tartarum emeticum ad grana duo de die interne exhibuimus, quod serius ob cutem constanter siccam cum Sulfure aurato Antimonii commutavimus. Sensim recedente paralysi, perstabat aphonia. Hinc ad balnea tepida confugimus, quorum post usum, elapsis paucis horis, rediit vox.

Ulterius vero alioquin lentum morbi decrementum plura retinuere mala subsequa: Jam primo, erysipelas faciei ex incauta vesicantis tractatione supervenit; dein aeger ex consueta portione prunorum, ob nimiam voracitatem simul cum nucleis ingestorum cholerae epidemicae insultum sibi contraxit, per aquam glacialem et Ipecacuanham serius cum Camphora nuptam cito abstergendum; ultimo tandem accrevit

hydrops anasarca, contra quem primo Camphoram cum Scylla junctam serius infusum cum extracto Valerianae et liquore Cornu Cervi, praeterea pulveres Camphorae cum Sulf. aurato Antimonii, et denique balnea universalia cum hepate sulfuris in usum trahebamus.

Tandem 30. Septembris sanus dimittebatur, post dies morbi 77, tractaminis 75.

AEGER VICESIMUS OCTAVUS.

DEGENERATIO OVARIORUM CUM SUPERVENIENTE INFLAMMATIONE.

Puella 16 annos nata, habitus cachectici, menstruis non adhuc salutata, praeter Syphilidem universalem, qua laboravit, nullis unquam morbis tentata, die 17. Octobr. hujus anni nostram opem expetiit. Ex coitu ut refert violento dolente, per quatuor dies (11—14. Octobr.) saepius repetito, magnos die 15. Octobr. persensit dolores in sinistro abdominis latere, quibus vomitus accessit mucoso-biliosus. Hirudines duodecim loco dolenti bis impositae, clysmata oleosa, emulsio communis vix levamen aliquod tulerunt.

Die 17. Octobris in nosocomium recepta pulsus fortes, plenos, duriusculos, aequales modice frequentes exhibuit. Sitis exigua. Dolores hypogastrium obsedentes accuratiorem abdominis investigationem prohibebant. Die subsequo, cum abdomen tractabile magis esset, tetigimus in inferiore ejus parte tumorem

per pelvim extensum ad umbilicum usque protensum, magis in sinistro latere locatum, ovarii potius quam uteri figuram aemulantem. Hirudinum reiteravimus adplicationem cum simultaneo cataplasmatum emoll. et balneorum univ. usu. Ordinata vero genitalium internorum investigatio tentata quidem fuit, sed non potuit cum effectu institui, ob morbosam vaginae sensibilitatem. Subsequis diebus febris aucta cum doloribus intensioribus hirudinum repetitionem expetebat. — Post 8 dies tractaminis secunda genitalium internorum investigatio docuit, uterum gravidum non esse, sed orificii ejus contractionem et duritiem et dolorem potius a degeneratione illius dependere, ex longo jam tempore perstante, cui nunc status inflammatorius supervenit, organa quoque vicina adgrediens. Per stethoscopium nulla foetus in utero pulsatio audiebatur. Ab hoc tempore inflammationem chronicam per antiphlogistica, hirudines, Calomelem, pacantia emollientia in et externa debellare studuimus, inungendo simul unguentum cinereum cum extracto Hyoscyami lateri dolenti. Die 28. Octobr. sanguinem vomuit nigrum solutum et coagulatum simul cum muco et materia aquosa foetida, et similia dejecit, serius alvus faeculenta; aegra ipsa pallore cutis cereo notata, immobilis statuae ad instar decubuit cum respiratione gravi, cardiopalmo vehementi, pulsu debilissimo, somnolentia continua, mente tamen sano, frigus accusans gelidum, a qua stragulis sufficientidus se non satis defendere valebat.

Tandem 4. Novembris, morbi 23, tractaminis 19, abdomen collabitur, tumor iminuitur, et sub evacuationibus foetentibus sequitur placida mors, sub vivido arteriarum abdominalium micatu.

Cadaver ex et interne exsangue detectum. Duodenum, circa pollicem dimidium a pyloro, in pariete posteriore excavationem, cruciferum explentem, offerebat, in cujus basi tria vascula exiguis ostiis libere patebant. Ilei inferioris gyri concreti. Flexura coli sygmoidea ad dextrum latus protensa, ibique peritonaco accreta. Solutis his adhaesionibus, cavum oculis sese obtrusit, facie interna villosum, quod numerosae trabes fibrosae, lardaceae directione varia permearunt, materie caseum dissolutum aemulante repletum; cavum hoc inprimis uterum inter et rectum profundius descendebat, ubi destructo peritonaeo, amotisque fibris muscularibus, ambitu grossi argentei, ad tunicam recti mucosam pertingebat. Uterus et vesica urinaria illaesa. Tubae sinistrae nullum vestigium; ovarium hoc residuis ligamenti lati lardaceis intextum, ovarium dextrum grande, pallidumque; tuba haecce versus finem fimbriatum degenerata, in saccum magnitudinis ovi anserini fibrosum, eadem materia caseosa puriformi repletum mutata.

AEGER VICESIMUS NONUS.

FUNGUS MEDULLARIS VENTRICULI ET TABES CUM SUPERVENIENTE HYDROPE UNIVERSALI.

Operarii uxor, 63tium. attingens aetatis annum, praeter haemoptoen bis superatam, et affectiones ventriculi spasticas diuturnas, variis tincturis in usum vocatis debellandas, sanam semper duxit vitam. — Initiante Aprili hujus anni, sine causa cognita dolores in abdomine enascebantur, quos pro spasticis habuit; mense Julio tumorem animadvertit mox describendum, versus ventriculum ascendentem, simul cum dolore, quem sensim febricula sequebatur continua remittens.

Die 25. Septembris ad nosocomium fugiens sequentem exhibuit statum: Aspectus erat cachecticus uti in feminis, carcinomate uteri laborantibus; febris aperte tabifica; in regione epigastrii observabatur tumor immobilis cum musculis abdominalibus arcte nexus, non vero cum cute externa, quae libere super illum moveri potuerat. Dolores in hocce tumore nulli animadvertebantur ubi corpus situm horizontalem in lecto tenebat, qui vero statim sat intensi oboriebantur, sub statu erecto; pulsatio in hoc tumore nunc fortior nunc debilior, cum pulsu isochrona, magis perceptibilis latere sinistro et inferiore quam in superiore dextraque parte, tumor ipse comprimi non potuit. Diagnosis mali incerta: Sensus tractionis ex ventriculo ad tumorem perceptus, nausea

per motum, praesertim extensionem trunci, post ingesta nutrimenta et potus excitata, digestionis et assimilationis vitia pro hernia; forma tumoris, qui oblongus fuit, pulsatio in illo percipienda, aliquantulum pro aneurismate aortae descendentis, seu coeliacae loquebantur. Prognosim ob febrim tabificam admodum limitavimus, simulque therapiam simplicem, emollientem pacantem nobis praefiximus, quae serius cum hydropis universalis signa magis magisque eminerent, in antihydropicam simulque tonicam commutabatur; ultimo viribus solum admodum labefactatis prospeximus. Tandem sub continuo hydropis incremento, aegra occubuit post dies tractaminis 53.

Cadaveris lustratio praeter serosas collectiones in cavis abdominis, thoracis, pericardii, etc. sequentem exhibuit ventriculi et partium adjacentium degenerationem: Stomachus aëre, fluidoque brunco turbido expansus deprehendebatur, ceterum pallidus. Tertia pylori pars simulque portio colonis transversi et omenti cellulosis accretionibus circa umbilicum ad parietem abdominalem erat adnexa; anterior ventriculi facies circa pylorum incrassata fuit; hanc parietem duas lineas ab ostio pylori in plagam ulcerosam magnitudinis palmae manus mutatam invenimus, quae colore rubrofusco notata, marginibus circumdabatur, excrescentiis fungi medullaris obsitis. Communicationem sustinebat haec ventriculi plaga ulcerosa per duo ostia sibi superimposita, lineam in diametro capientia, cum cavo quodam magnitudinem pugni aequante, sinistror-

sum ad umbilicum, in vagina musculi abdominis recti locato, quod cavum saniem continebat fuscam, cum solutis partibus fungi medullaris mixtam; horum ostiorum inferius ducebat in cavum parvum simile priori ad colon transversum penetrans, ita ut hujus colonis membrana mucosa tribus locis pro transitu specilli perforata esset.

AEGER TRICESIMUS.

APOPLEXIA SANGUINEA.

Die 14. Novembris accepimus sexagenarium sub sequenti statu: Totum latus dextrum erat immobile, caput calens rubensque praeter morem, conscientia ablata, pulsus magnus, fortis, durus, abdomen plenum expansum. Facta venaesectione unciarum octo, propinato purgante efficaciori, et suris per sinapismos rubefactis, redit paullulum conscientia, os aperitur, respiratio paullulum corrigitur; lingua tamen non porrigenda, loquela denegata, et eadem adhuc sanguinis versus encephalon congestionum signa; hinc hirudines duodecim ad tempora adplicitae et medicamini Tartarus emeticus addebatur; postquam status hic per 3 dies eodem tenore immutatus persliterat, accessit stertor sub respirio cum tussi sine ulla expectoratione, extremitatum frigus, contra quem statum infusum florum Arnicae cum duobus Tartari emetici granis, vesicans pectori impositum et ultimo, cum pulsus minor evaderet debilissimus, Camphoram sine

ullo fructu adhibuimus; mox enim aeger sub summis respirationis molimiuibus obiit.

Corpus magnum robustum pingue, cranium amplum, collum breve, thorax vastus. Cerebrum ejusque meninges incrassatae sanguine scatebant, per extrema vascula distributo; intra meninges magna seri grisei quantitas accumulata, cerebri substantia pastacea tenax, serum continens. In ventriculis cerebri lateralibus multum expansis inveniebatur uncia una et dimidia seri rubelli. Penes corpus striatum sinistrum, versus et prope thalamum opticum, et pro parte in hoc ipso sanguis coagulatus obscurus reperiebatur, qui ovi anserini magnitudinem aequans, in loco cerebri anteriori et medio situm habuit, et circa circum substantiam cerebralem offerebat, villose relaxatam et pultaceam. Uterque pulmo sanguine nigro spisso scatebat.

Corrigenda.

Pagina:	linea:	loco:	lege:
23	1	praegressio	praegresso.
—	3	31	28.
—	16	67	65.
—	—	58	56.
—	—	9	8 (9).
30	3	28	29.
31	10	exhibuit	exhibet.
53	10	— 10. 26	+ 10. 26.
64	1	Caput XI.	Caput IX.
77	6	necesserat	recesserat.
83	9	causus	causis.
84	12	dimisimum	dimisimus.
—	25	ex	en.
112	19	pliacidiores	placidiores.
152	21	acutissimas	acutissimus.